8



DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA
INAUGURALIS
DE
PHRENITIDE VERA,
QUAM
ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS
D. D. JOANNIS CONRADI RÜCKER,
J.U.D. ET JURIS CIVILIS IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA ANTECESSORIS ORDINARII.
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*, & *Nobilissimæ* FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*,
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis rite ac legitime consequendis,
Eruditorum Examini submittit
THEODORUS VERHEIK,
LUGDUNO-BATAVUS.
Ad diem 7. *Octobris* 1757. *hora locoque solitis.*

LUGDUNI BATAVORUM Apud THEODORUM HAAK

F. Bleyswyck

VIRIS OPTIME HONORANDIS

SANGUINE MIHI QUAM PROXIME ADJUNCTIS.

GERARDO VERHEIK,

PATRI OPTIMO PLURIMUM VENERANDO, OMNIQUE FILIALI AMORE AD ULTIMAM VITÆ AURAM PROSEQUENDO.

HENRICO VERHEIK,

ATQUE

DIETERICO VAN DEN BRAND,

AVIS SUIS IN ÆTERNUM COLENDIS, MAXIMI ÆSTIMANDIS.

NEC NON

AUGUSTINO VAN STAVEREN,

COGNATO SUO EXOPTATISSIMO AD ROGUM USQUE PLURIMI DUCENDO.

Hasce Studiorum primitias, atque semet ipsum omni veneratione sacras facit, obfert, atque dedicat.

T. VERHEIK,
AUCTOR.



PRÆLOQUIUM.




NTER *tot adeoque graves morborum, inter se diversissimorum, quibus misero hominum sæpe conflictandum sit generi, turbas infimum minime sibi vindicat Phrenitis locum. Periculosus hicce adfectus pro Themate, viribus nostris imbecillioribus superiori licet, ad satisfaciendum legi, Lauream Doctoralem ambienti impositæ, a nobis, postquam dubius & anceps diu hæsit animus, ad specimen progressuum in lucem proferendum, est electus. Opus certe tyroni permagnum, attamen non minus in rebus utile practicis. En ergo L. B. dissertatiuncula quam, tibi obfero, pro viribus explanatam. Ne novi quid exspectes; verum contentus sis ab aliis jam explicatis. Plurima enim*

si non omnia ab auctoribus explanata, atque scriptis mandata sunt. Novi igitur vix aliquid addi potest. Sed omnia hic in medium prolata ex Auctoribus antiquis, hodiernis, nec non Præceptoribus, nunquam nisi summa laude nominandis, ad rogum usque colendis, parentumque loco in æternum habendis, collecta atque descripta; perpauca, tamen, a me addita libenter fateri non erubesco. In describenda hacce dissertatione nonnullorum auctorum, inprimis immortalis illius Batavi HIPPOCRATIS, *summi* BOERHAVII *nempe aliorumque ordinem secutus sum. Varia forte tibi occurrent vitia, quæ, ut corrigat Lector, humanissime rogatur. Discentis, minime vero Docentis opus esse, consideret; reliquaque si displiceant, æqui bonique consulat oro. Dissertationem hanc, ut ordo servetur quidam, in quinque partes divisimus. Prima pars agit de Morbo ipso, Parte adfecta &c. Altera enucleat ejus Causas enumeratque. Tertia exhibet Diagnosin. Quarta tractat Prognosin. Quinta enarrat ejus medendi Methodum.*

DIS-



DISSERTATIO MEDICO-PRACTICA INAUGURALIS DE PHRENITIDE VERA.



CAPUT PRIMUM.

De Etymologia, Definitione, Differentia &c. Phrenitidis.



HRENITIS, Mentis quasi morbus, quia Mens eo valde patitur, derivatur ἀπὸ τῆς φρενός, quod Mentem denotat, quodque vocabulum pro Sapientia adhibuerunt Veteres, unde Phrenitis Sapientiæ ægritudo Plinio dicta; & terminationem illam ῖτις, quam antiqui Medici usurpabant, morbum cujusdam partis inflammatorium

torium conantes indicare, ut plurimum, uti patet in Hepatitide, Pleuritide, Nephritide &c. addebant.

Morbus noſter, qui & *Phreniaſis* audit, etymologiæ, diutius ut ut hic minime neceſſariæ, ne inhæreamus, eſt *Mentis alienatio cum febre acuta continua, & delirio perpetuo, ſæpe feroci, ab inflammatione in vaſis vel cerebri, vel ejus meningum, vel utriusque ſimul concitata.* Verum inflammatio particularis cognoſci quum nequeat ſine ejusdem prænotione generali, brevem, quatenus ad ſcopum pertineat noſtrum, ejus dabimus ideam. Hæc unanimi doctorum Virorum conſenſu definitur, quod ſit *ſanguinis arterioſi rubri in minimis canaliculorum arterioſorum ſeriebus ſtagnantis præter naturam preſſio, cum attritu juncta enormi, per motum reliqui ſanguinis moti & ſtimulo febrili fortius adacti, inducta.* Brevis hæc licet, omnium tamen aptiſſime videtur genium depingere inflammationis definitio. Hanc, generaliſſime definitam, æque in Encephalon, quam aliud quodcunque organon, incidere valere, poſtea ſuo videbimus loco.

Phrenitis duplex exiſtit *Idiopathica*, atque *ſymptomatica*, licet tertia ſpecies Hectica dicta a nonnullis addatur. De priori agere conſtitutum eſt, in qua inflammatio proprie in cerebro vel ejus membranis, vel utrisque ſimul hæret, atque cauſa primarie in cerebrum agit. De poſteriori ſpeciatim non eſt, tempus quippe deficeret, ut agamus. Pauca tamen de hac præmonere non abs re eſt. Varia enim pro cauſa agnoſcit ſua. V. G. contingit frequenter, quod inflammatio in alia corporis parte ſita, per μετάστασιν in Cerebrum deferatur. Hujus *Phrenitidis* ſymptomaticæ Exempla apud Auctores tam

anti-

antiquos, quam recentes inveniuntur infinita. Sic dicitur *Phrenitis* orta a materia capitis eryſipelatoſa, ubi illa materias intro vergebat, ſeque deponebat in Encephalon. Hæcque porro Sympathica frequenter occurrit in variolis, ubi materies illa varioloſa ſimili modo ac Eryſipelatoſa, cerebrum ejusque membranas adficit. Qualis caſus, quum occupatus eſſem hacce diſſertatione deſcribenda, exemplum contigit, quod huic inſerere minime dubius hæſitavi. Erat ſcilicet juvenis, annum agens circiter vigeſimum, qui octava ante obitum die, morbo quodam laborabat cutaneo cum dolore lumborum, unde ſponte liberatus. Verum elapſis tribus diebus, nullo interim victus regimine obſervato, priſtinus ille rediit lumborum dolor; tunc prius accerſito Medico, altera die erumpebant puſtulæ varioloſæ copioſisſimæ, attamen diſcretæ, quæ ab ipſo ægrotante parum curatæ, tertia die (retropulſa materia varioloſa) papulas duriusculas, compreſſas, ac ſi verrucæ eſſent, referebant; ſubſequenti die jam gangrænoſæ cum delirio atque febri acriori; & tandem ultima die ante meridiem jam plane ſui neſcius, febri non minori, atque delirio parum imminuto ſed feroci, hora circiter ad veſperam octava cum anxietatibus ingentibus miſerrime ſuffocatus quaſi obiit. Itaque a podagra vel arthritide retropulſa, a ſuppreſſis in puerperis lochiis, (de quibus in ſequentibus ulterior quidem mentio) atque ex aliis forte innumeris produci noſter poteſt adfectus. ſic habet SCHENKIUS *in Obſ. Medic. L.* 1. *p.* 62. caſum transmutatæ pleuritidis in Phrenitidem, nullis remanentibus pleuritidis notis. Item delirium cum febre ortum a vulnere, quod non ſolum diviſerat muſculum crotaphitem, ſed e-

tiam penetraverat per os temporum dextrum in cerebrum usque, verum quoque diviserat piam & duram meninges, observatum legitur in *act. societ.* Holl. Harlem. *tom.* 3. *p.* 566. *& seqq.* Delirium febres acutas secutum legimus apud Schenkium *L. c.* Ex Catharro idem *L. c. p.* 64. Tandem casum habet adolescentis cujusdam, qui, cum tumor ad malleolum ei obortus, subsequentibus balbutie, febri latente, siti, lingua fuliginosa, phreniticus redditus, quarto die mortuus est. Fabricius Hildanus expertissimus atque dexterrimus Medico-Chirurgus, nobis casum præbet, ubi agit de Symptomatibus, quæ amputationem consequuntur, & de mentis alienatione mentionem etiam facit in *libro de Gangræna & sphacelo Cap.* 25. *p.* 287. *Vigiliæ*, enim inquit, *inquietudinesque ex numero quoque sunt gravissimorum symptomatum, quæ post Operationem ægrum torquere solent.* Pauloque inferius dicit, *moxque oritur febris, tandem mentis alienatio & quandoque symptoma longe periculosissimum sequitur.* Hæc sufficiant de *Phrenitide* symptomatica; plura alia hinc inde inveniuntur in Medicorum Pandectis.

Pars adfecta est Viscus, illud totius Corporis humani nobilissimum & intricatissimum, cerebrum scilicet, ejusve membranæ. Quod in schola Anatomico-Physiologica definiri solet; *viscus singularissimum, in Calvaria situm, ex duplici constans substantia Corticali scilicet & Medullari, vasis omnis generis gaudens, functionibus animalibus destinatum, nec non liquido alicui subtilissimo probabilissime secernendo dicatum.* Membranæ, quæ illud obvolvunt tres ponuntur, uti omnibus parum in Anatomia versatis nota res est. Prima ex illis crassa,

fortis,

fortis, vafis pleniffima eft, & dura mater vel meninx dicitur. Tenuiffima altera, a teneritudine & fimilitudine membrana Arachnoidea dicta, telam ferme aranearum refert. Tertia pia mater vafis quibufcunque probabiliter atque nervis inftructa, directe cerebrum obvolvit, eftque denfa, compacta. Priorem ut & pofteriorem inflammatione poffe corripi, conftat ex variis obfervationibus, & omnium adinftar ex illis nobis relictis a doctiffimo T. BONETO *in Sepulcreto fuo Anatomico.* Mediam feu Arachnoideam inflammatione correptam unquam fuiffe, nullum, quod hactenus novi, datur exemplum. Et quid ni cerebrum ejusque memoratæ meninges, ac aliæ partes, inflammationem poffent pati, quum ex fimplici infpectione anatomica & injectione conftiterit, totum Encephalon vafis cujuscunque gaudere generis? Et ex fupra data inflammationis definitione luculenter adparet, hanc æque in cerebrum, ejusque membranas, ac in aliam quamcunque partem vafculofam, incidere poffe. Hæc, credo, quoad hujus vifceris ftructuram, fitum, ufumque fufficiant, reliquis nos immittere, e re noftra eft. Plura qui de eo defiderat, adeat Anatomicos, atque Phyfiologos, qui de hifce fat fufe & ample egerunt.

PHRENITIDEM. 1°. Juxta ejus definitionem *Mentis alienationem* effe vidimus, per quam intelligenda aberratio illa legitimi mentis ufus eorum hominum, recedens ab ea in homine fano & fapienti.

CONJUNCTA. 2°. Semper eft Phreniafis cum *delirio.* Delirare enim is dicitur, qui a recto judicii tramite recedit & abfurda, objectis externis non refponden-

tia, profert. Et hoc ſemper in Phrenitide ad eſt *perpetuum;* ejusque primarium ſignum ſiſtit Pathognomicum. Omne vero delirium non facit Phrenitidem; datur etenim delirium maniacum, melancholicum, hypochondriacum, hyſtericum; ſed hæc deliria intermittunt & ceſſant, ceſſante eorum paroxysmo. Unde jure ab aliis diſcernitur morbis, ubi frequenter delirium obtinet: ut in febribus intermittentibus; ubi ceſſat, ceſſante eorum paroxysmo, reditque, redeunte novo febris inſultu. Delirium porro intermittens ſupervenire aliquando febribus obſervatur acutis, continuisque remittentibus. Nec non diſcernitur hac ratione a delirio in morbis ſoporoſis, febrilibus, ſæpe illud comes habentibus. In his dilirium quidem ſæpe adeſt, ſæpe tamen intermittit, quod in Phrenitide contrarium, ubi quidem remittit, neutiquam tamen intermittit. Patet itaque differentia. Delirium etenim, quod in Phreniaſi obſervatur, ad morbi finem usque mitius graviusve continenter perdurat.


Atque 3°. Hoc delirium ſæpe *ferox* eſt; valide enim hic mutatur ſenſorium commune; attamen non ſemper illa adeſt ferocia æque gravis, uti innuit Clar. Zwietenius *in Comm. ad* Aph. Boerhav. §. 770. & 771. ibidemque hujus rei rationem reddit. Atque ideo diſcrepat Phrenitis a Paraphrepitide. Nec non quoad locum adfectum diſcernitur ab ea. licet Antiqui varia alia loca pro Phrenitidis ſede ſtatuerint, quod pro ſuo tempore jam optime refutavit Cæl. Aurel. *lib.* 1. *de morb. Acut. c.* 9. *p.* 24. In Phrenitide cerebrum ejusve meninges adfectæ ſunt; in Paraphrenitide vero diaphragma, vel pleuræ pars diaphragma ambiens, patitur.

Adest & 4°. *febris acuta continua.* Inflammatio enim

enim majoris momenti inprimis ſibi comitem habet febrim, atqui hic adeſt inflammatio cerebri, ejusve membranarum, quæ certe maximi momenti, quid ni febris acuta noſtro in morbo adeſt continua, æque ac in aliis morbis inflammatoriis? Atque hac febre præſente diſtinguitur a mania & melancholia, quæ mala chronica ſine febre ſunt. Hoſce morbos ab invicem perpulcre diſtinxit CELSUS *lib.* 3. *c.* 17. ubi dicit. *Incipiam ab inſania, primamque hujus ipſius partem aggrediar, quæ & in acuta & in febre eſt.* Et hæc febris ſemper adeſſe, debet, licet T. BONETUS obſervaverit Phrenitidem cum Cerebri atque meningum inflammatione abſque febre exſtitiſſe. Hæcque memorata ſigna pathognomica Phrenitidis ſunt, quibus & ab aliis diſtinguitur morbis, & illa ad finem morbi usque concomitantur. PROSP. ALPIN. duobus tantum ſymptomatibus præſentibus, febre nimirum acuta, continua, atque delirio perpetuo Phrenitidem cognovit, & ab aliis diſtinxit morbis, uti id colligere licet ex eruditiſſimo illo libro de *Præſagienda vita & morte lib.* 1. *cap.* 7. *p.* 37. De reliquis ſignis diagnoſticis poſtea ulterior agendi opportunitas concedetur.

HOCCE morbo inflammatum eſſe cerebrum, vel ejus membranas, vel utraque ſimul, docent obſervata Anatomica cadaverum Phrenitide exſtinctorum, quæ exacte inſtituit doctiſſimus. T. BONETUS, qui omnia concinno ordine ſcriptis mandavit, uti patet ex *Anatomia Practica* ſive *Sepulcreto Anatomico lib.* 1. *ſect.* 7. ubi cerebrum ſolum, membrana dura & pia ſeorſim, & ſimul inflammari poſſe dicuntur. Adeoque hoc monendum, quod ut Phrenitis naſcatur, inflammatio haud ſemper requiratur in

cerebro, vel ejus membranis ſimul; verum eam exorir
poſſe alterutra parte inflammata, ex citato loco colligitur
Hiſce omnibus præmiſſis transeamus ad morbi Cauſas.



CAPUT SECUNDUM.

De Cauſis Phrenitidis.

HÆ quam variæ ſint, quotidiana docet experientia
Illas innumeras ſuam ob multitudinem cum pleris
que artis Magiſtris diſpeſcimus in προκαταρκτικὴν, qua
& πρόφασις vel occaſionalis audit; in προηγουμένω
hæc remota ſeu prædiſponens dicitur; & in cauſam
Proximam. Priorem commodi gratia dividimus cum
ſummo BOERHAVIO *in inſt. Medic.* §. 744. in qua
tuor claſſes. Quarum prima agit de *ingeſtis*, quæcun
que illa fuerint. Secunda de *Geſtis*, tertia de *Retenti*
atque *Excretis*, quarta ſeu ultima de *Adplicatis*, quo
cunque id fiat modo. De hiſce primo agendum, & ſin
gula brevitatis ergo paucis abſolvam.

AD primam claſſem inter ingeſta cum mox adlato
Auctore primo loco refero *aërem*, illud veterum vitæ pabu
lum, quo ne per momentum absque damno carere poſ
ſumus. Hic variis modis variari atque humanum genus
& corpus lædere poteſt. Aëris dotibus & qualitatibus,
quæ certe ſunt innumeræ, non eſt quod inmorer, de
hiſce videantur Philoſophi atque Pathologi. Solummo

dc

do mihi inquirendæ incumbunt illæ, quæ noſtro morbo producendo aptæ & efficaces habendæ ſunt. Aër itaque 1°. examinandus calidus eſt. Qui certe noſtro adfectui facile auſam præbere poteſt, præcipue ſi tum ſimul fuerit ſiccus. Calidus enim aër omnia rarefacit, diſtendit, efficit, ut humores majus acquirant volumen, corporique adplicatus vaſa laxat & ampliat, ita ut vaſa ad reactionem in contenta liquida rite præſtandam, imparia reddantur, hinc innumeri morbi oriri poſſunt, quos explicare ſi voluerimus, tota non ſufficeret ætas. Naſci facillime poſſet, quod non infrequenter contingit, ut humores in minora protrudantur vaſa, unde error loci, ſtagnatio liquidorum in minimis vaſis, inflammatio & ejus ſequelæ; inprimis ſi alia quæcunque cauſa accedat, & hæc ſymptomata in cerebrum ſi deveniant, Phrenitidem perquam facile progignere valerent. Quod & fieri videmus, ut adducatur exemplum, in Ophthalmia. Naturaliter in tunica oculorum albuginea nulla adparent vaſa ſanguinea, verum veniat aliqua modo cauſa, quæ ibi producere poſſet errorem loci, nonne ſtatim in lucem ſe prodeunt vaſa iſta ſanguine oppleta? Hoc ſi obtinere poteſt in illa parte, quidni in aliis partibus idem fieri valet, & præcipue in viſceribus, ubi eorum vaſa fibras muſculares exiliores habent, humoresque minorem inveniunt reſiſtentiam? Præterea aër calidior efficit, humores majus ut acquirant volumen, unde vaſa diſtenduntur, & ita facile eluceſcit, quid Plethoricis accidere debeat, inprimis calor ſi accedat? Abundantia enim humorum quoad volumen augetur, unde vaſa ad crepaturam usque diſtenduntur. Inde iterum malorum chaos oriri poteſt, & cerebro adplicata no-

ſtrum

ſtrum adfectum producere levi negotio valent. Præter hæ aër calidus in humorum agit principia, præcipue ſal & c leum. Ex Chemicis enim demonſtratum eſt, humores nc ſtros ex quatuor componi principiis; aqua ſcilicet, phlc giſto ſive inflammabili, ſale & terra, ut Cel. omni laud major H. D. GAUBIUS, Præceptor Promotorque meus in æ ternum honorandus, in nuperrime edita *Pathologia* §. 13 ſcite monuit. Oleum ſeu inflammabileranceſcit, ſal alca leſcit & in alcali volatile abit, tum phlogiſton illud auge tur, ſtagnat, obſtructiones, inflammationes earumqu ſequelas producit, quæ ſi ad Cerebrum adplicamus, ori ri facile poſſet Phrenitis. Et præterea ſtagnantibus hu moribus acrimonia inducitur, ex qua varia morborur genera. Quid nunc produci debeat a ſiccitate facile pa tet. Hæc omnia exſiccat, hinc ſubtiliora difflantur, cras ſiora relinquuntur. Ex quibus ſolida redduntur rigidic ra, quæ certe per ſe aliquando maximopere nocere pos ſunt. Hinc videmus cane pejus & angue vitandam eſſ inſolationem, ſeu moram diurnam, & diuturnam in ſo le ambulationem. Hæc quoque ob radiorum ſolariun calorem & ſiccitatem idem efficit, quod aër calidus & ſiccus. Ob ſolis enim calorem humores rareſiunt, expan duntur, vaſa laxantur, rigidiora redduntur. Quod noı infrequens videre eſt in meſſoribus, aratoribus, & reli quis ſuum opus ſub dio facientibus. Hi enim homine quanta ſæpe non percipiunt mala a tali inſolatione? Nullu enim obſervationum datur numerus, quin talibus fer impletus ſit obſervationibus, & experientia quotidian triſtia eheu! quam plurima demonſtrat mala. Talis quo que Inſolatio non infrequenter in infantibus produci *Syriaſin*, quæ Phrenitidis ſpecies eſt. Quod optime do

ce

cet J. SCHENKIUS *in Obſerv. Medic. lib.* I. ubi de *Syriaſi* agit *Obſ.* I. *p.* 58. Et ita videmus, aërem juſto calidiorem, noſtro morbo producendo minime imparem eſſe. Inprimis ſi accedat diſpoſitio in corpore calida & inflammatoria, plethora, vel alia quæcunque cauſa remota, uti poſtea videbimus. Et certe talis aër calidus atque ſiccus facile cerebrum inflammare valet æque, ac aliam quamcunque partem, quæ per calorem & ſiccitatem rigida reddita, diſpendium ſubtiliorum, reliquorumque inſpiſſationem paſſa eſt. Verum contrarium & poſſe obtinere, abſolute negare non auſim. Aërem frigidum etiam nocere poſſe, experientia edocuit. Nonne videmus tempore æſtivo corpore excalefacto, cito quum adplicetur aër frigidus per rimam feneſtrarum vel januæ, oriri Pleuritidem, aut Peripneumoniam? ſi aër frigidus illis producendis par fuerit, quidni poſſet generare Phrenitidem? Corpus tum magnam certe patitur mutationem. Perſpiratio maximopere impeditur, unde varia malorum genera, de quibus poſtea ſuo loco, oriuntur. Frigus condenſat, compingit humores, in minus volumen reducit, omnia interiora verſus propellit, efficit, ut liquida vaſorum parietibus adhæreant, hinc ſtagnatio, obſtructio, inflammatio &c. quæ ſi cerebro adplicentur, Phrenitidem gignere valent, uti exempla triſtiſſima id toties ſatis ſuperque edocuerunt. De reliquis aëris qualitatibus humida ſcilicet, levi, gravi & cæteris videantur modo laudati Auctores. Quid de aëre maligno ſentiendum ſit, videtur cauſticis volatilibus, aliisque noxiis qualitatibus imbutus noſtrum poſſe e longinquo licet progignere malum.

AB aëre pervenimus ad *alimenta.* Alimentum dici-

tur omne id ingeſtum, quod viribus naturæ noſtræ ita ſubigitur, ut in noſtram abeat naturam; idem intelligendum de potu. Hæc varia, variis ex regnis petita, duplici modo generaliter peccare poſſe, cum plerisque Pathologis ſtatuimus, *quantitate* ſcilicet & *qualitate*. Quantitate ubi peccant alimenta, iterum id peragunt duobus modis, exceſſu nimirum vel defectu. Quam miſeri certe illi, qui quotidie lautis utuntur menſis, & continuo ventriculum ſuum nimis onerant alimentis! Illi fere ſemper percipiunt ſenſum ineptitudinis & ad minimum motum laſſitudinis. Ventriculum adeo impletum & diſtentum ſequuntur quam peſſima & miſerrima mala. Et ille nimis oppletus agere in ingeſta nequit, unde tota primæ coctionis actio perturbatur, atque tum ab officio fere quieſcit ventriculus, ingeſtaque morantur, acrimoniam diverſam contrahunt; unde infiniti morbi produci queunt. Dein nec bonus poteſt præparari chylus, ſed vitioſus, hinc mala gignuntur ſymptomata, ut cachexia, cacochymia, & ſternitur via ad infinitos morbos chronicos, hydropem ſcilicet, aliosque; verum hi non ſunt hujus loci. Præcipue vero ventriculus nimis diſtentus premit ſibi vicina, ut arteriam aortam, venam cavam &c. quibus fere proxime adjacet, unde tota vel pro parte imminuitur, & fere ſuffocatur circulatio in inferioribus ſæpe & determinatio ad ſuperiora fit. Unde vertigo, apoplexia, lethargus, verbo omnes morbi ſoporoſi, febrique accedente, haud raro noſter emergit morbus. Hæc de nimia ſufficiant alimentorum quantitate, quantum pertinent ad noſtrum producendum adfectum.

De

De defectu ciborum seu inedia agendum jam est, quid enim non producitur ab inedia? Nonne videmus homines eam patientes, morti fere similes? Incidunt in leipothymias, animi deliquia, immo nisi alimenta subministrarentur, morirentur, quod non infrequens videre est in exercitibus, ubi homines inedia plurimi sæpe moriuntur. Quid tum reperitur in illorum cadaveribus apertis? omnia intus quasi putrefacta deprehenduntur. Solida continuo deteruntur, fluida dissipantur a vitæ vi superstite. Hæc restauranda per alimenta, alias citissime producuntur morbi aliquando lethales. Inedia porro facit, corpus ut decrescat, homo ut marcescat. Homo enim sufficientem ad vitam sustinendam non adsumit materiem nutritiam, unde debilitatur, magis magisque languet. Dein menstrua primæ coctionis atque digestionis corrumpuntur, acria redduntur. Hæc enim concurrunt ad ingesta miscenda, si autem nil ingreditur ingestorum, aërque accedat, fiunt acria, oriuntur innumera inde mala noxia, imo aliquando pestifera, uti observatum invenitur. Illis vero hominibus anima maximopere fœtet. Bilis postea in intestinis accumulata, per pylorum in ventriculum regurgitatur, ibi invenit menstrua stagnantia, & sic materies magis putrida redditur in ventriculo. Hæc præterea in duodenum effusa, aliis humoribus commista illud corrodit, in ventriculum propellitur, atque tunc materies salina, quæ ibi jam per tempus hæsit, magis acris redditur, oriturque atrocissimus appetitus, adeo ut homo ad fœtidissima; imo aliquando ad non alimenta transeat, id est, sibi summopere sæpe exitialia, unde pessima oriuntur mala, rancedo, putrido &c. originem suam in ventriculo hærenti, debentia. Ex hoc nausea,

ciborum faſtidium, vomitus, unde homo adhuc magis vexatur, ſitis inexplebilis naſcitur a putridiſſima ibi hærente materia. Hæc acerrima in ſanguinem converſa, deſtruit vaſa ſubtiliora, irritat: fiunt convulſiones, febres furioſæ, malignæ, Phreniticæ, & alia ejusmodi ſymptomata. Hinc videmus, quam funeſtiſſima mala producere poſſit inedia ſeu nimia ciborum abſtinentia? Inter alia Delirium ab inedia productum legitur apud P. BORELLUM *in Obſ. Medico Phyſic. Cent.* 3. *Obſ.* 81.

DE exceſſu potus multa ut dicamus, neceſſe non eſt. Quippe talis neutiquam Phrenitidem ſiſtat. Requiritur enim ut qualitates ſpirituoſas acres, aliasve habeat. De quibus mox. Licet apud FABR. HILDAN. *Cent.* 4. *Obſ.* 38. Obſervatio quædam proſtet, quod ex hauſtu aquæ frigidæ ingens ventriculi dolor cum mentis alienatione ortus ſit. Verum hoc, credo, factum ob conſenſum mirum, quem caput præ aliis partibus cum ventriculo habet. Ex aquæ frigidæ potu ſi hæc fieri queunt, quidni, alia accedente cauſa, Phrenitis produci valeret.

DE defectu potus non eſt, quod agam, raro enim hic contingit, ſæpius plus bibunt, quam ut ſitiant, homines. Verum ſi homo nimis ſe abſtineat a potu, eadem omnino mala orirentur, ac a nimia ciborum abſtinentia, & forte quidem pejora.

QUALITATE cibi potusque peccare poſſunt, de quâ pauca dicenda. Hæc multiplex admodum varia ratione nocere poteſt pro varietate acrimoniæ, qua gaudent. Hæ acrimoniæ innumeræ fere ſunt. Tales ſunt acrimonia ſalina, acida, aromatica, rancida, cauſtica, putrida, ſpirituoſa. Poſterior hæc in potibus præcipue locum habet. Dantur & adhuc aliæ, quæ ex illis componuntur.

tur. Harum omnium enucleationem præbere, nimis longum atque tædiosum est. Ideoque L. B. ad Pathologos, interquos eminent BOERHAVIUS, HOFFMANNUS, aliique, verum omnium optimus Clar. BOERHAVIUS in *Inst. Med.* §. 759. *&* *seqq.* Natura nobis innumera ad sustentandam vitam dedit; verum humanus luxus ea adeo auxit, ut ventriculus quasi Catholicon evaserit ad coquenda & digerenda ingesta. Considerentur enim omnes illæ acrimoniæ, nonne variis morbis inducendis pares sunt? Nonne inflammationem acri ac valido stimulo inducere possunt? Ad hæc igitur si attendamus, sufficiet, credo, in genere adnotare, quod diros morbos producere valeant, & nullum viscus adeo sensibile ab his acrimoniis, quam cerebrum. Nonne videmus, homines a solo modo istorum acrium odore per idiosyncrasian in cephalalgiam, leipothymiam &c. incidere? Et hæc nocent, quia acrimonia vel stimulo suo nocivo motum humorum intendunt coagulando, corrodendo &c., & ita obstructiones, febres acutas, inflammatorias, & reliqua producunt. Hæc cerebro ejusve meningibus si adplicentur nonne Phrenitidem æque facile ac in alia quacunque parte inflammationem procreare possunt? Crederem omnino. Modo considerentur omnes conditiones, quæ hic occurrunt, & ut plurimum validissimæ.

POTULENTA potius quam alimenta sua qualitate nocere possunt. Hæc enim facilius continent dictas acrimonias. Acrimonia potibus insidens est acida spontanea, fermentata, fermentans, spirituosa & aromatica. Singula enucleare, ob dictam rationem nequimus. In genere notasse sufficiet, quod omnia hæc acria cere-

bro per quam nociva sint. Et continuæ illæ ebrietates jam a longo tempore damnatæ & metuendæ erant, præsertim in junioribus, plethoricis, tempore æstivo, calidiori. Hæ enim acrimoniæ stimulum toti corpori nostro tam quoad solida, quam quoad fluida inducunt maximum. Spiritus fermentatus solida constringit, fluida coagulat, inde varii oboriuntur morbi, aliquando exitiales. Ab hoc spiritu major fit ad Encephalon humorum determinatio, qui calore rarefacti, majus ibi acquirunt volumen, inde expanduntur solida, rarefiunt liquida, sicque comprimuntur vicina. Unde obstructiones, inflammationes, Phrenitidem, lethargum, apoplexiam, & plures capitis morbos procreare solet. Et nimium potuum spirituosorum usum pro causa jam agnoverunt Medici antiqui, qualia exempla apud HIPPOCRATEM, GALENUM, CÆLIUM AURELIANUM, aliosque, inveniuntur; sic apud SCHENKIUM *l. c.* ubi de *Phrenitidis causis* agit *p. 62.* Phrenitis orta legitur, a potu vini generosioris. Adeoque nimio spiritus vini usui deditis solida constringuntur, fluida coagulantur, ut patet in alcohole sanguini admisto, qui statim coagulatur. Quodque omnibus Medicis atque Chirurgis minime ignotum est. Ideo plurimi Chirurgi ad nimiam hæmorrhagiam sistendam optimo sæpe cum effectu alcohole utuntur. Hosce spirituosos potus etiam pro Phrenitidis causa agnovit P. ALPINUS *in Medic. Ægyptiaca lib.* 1. *c.* 13. ubi agit de *morbis partriciis & epidemicis ægyptiorum.* Hi enim nimis abutebantur vino, & inter eorum morbos Endemicos multas refert inflammationes, ut *Ophthalmiam*, *lepram*, *Phrenitidem*, *exitiosissimam*, *homines paucis horis perdentem &c.* Hinc videmus,

quam

quam facillime nocere possint acria illa alimenta & potulenta, & quam commodissime viam sternant ad morbos cujuscunque nominis acutos. Unde jure merito Medicorum Patronus, cujus manes non injuria religiose adhuc veneramur, & qui solum creditur mortalis, quia est mortuus, HIPPOCRATES scilicet, in aureis suis effatis, *Sect. 7. Aph. 7.* dicit. *A multo potu delirium malum.* Hoc intelligendum credo, de potu spirituoso vel alia acriori. Inde potius ab omni acrimonia quocunque nomine gavisa abstinendum suaderem, ne homines huic nimis dediti in certam ruerent perniciem.

ALIMENTA atque potulenta sequuntur *Medicamenta*, quæ varia tribus ex regnis petuntur. Hæc cum summo BOERHAVIO ad hanc redigimus classem. Illa sive sint solida, sive fluida, sive deglutita, sive injecta, perinde est, modo qualitate quadam nociva & acri gaudeant, simili ferme modo ac alimenta peccare possunt. Licet legatur observatio quædam apud WEPFER. in *Obs. Med. Pract. de adfect. capit. Obs.* 81. Phrenitidis ortæ a Rhabarbaro. De remediis adplicandis postea amplior dicendi præbebitur opportunitas, ubi de adplicatis externis agetur. Quod de cibis potibusque dictum, idem fere de remediis huc quadrat. Dantur etenim remedia vi quadam nociva prædita, inprimis hæc intempestive si adhibeantur, & vel optima licet alias, si abutantur, varia generant mala. De *intempestivo remediorum usu* totum habetur caput in nunquam satis laudanda *Pathologia* Clar. H. D. GAUBII. Ibique & effectus, quos producit, enumerantur: adeo ut opus minime sit, eos in medium proferre; verum transeamus ad ultimum primæ classis scopum.

VENE-

Venena ſcilicet, quæ quam variæ ſint, docet ſæpius laudatus Boerhavius *l. c.* §. 1119. *&* *ſeqq.* ubi de antidotis agit. Horum agendi modo, de quo inter auctores non convenit, non eſt, quod immorer; ideoque, ut inutilia & ſcopo noſtro minime inſervientia, ſilentio prætereo. Effectibus quoque non inſiſtam, quoniam tum ſingula ſingulosque effectus enumerare me oporteret. Ideoque Lectorem ad Auctores, qui de hiſce ſcripſerunt, refero. De Hyoſciamo, Arſenico, aliisque plurima habentur exempla tam apud antiquos, quam hodiernos. Quantum noceant hæc venena quocunque modo, quacunque forma adhibita, docent eorum pandectæ atque ſcripta. Uti ſunt Cælius Aurelianus, Borellus, Hoffmannus, Gaubius & cæteri permulti. Dantur & quæ nec remedia, nec venena dicenda; ſingulari tamen & haud adeo aperta ratione morbos Phrenitidi æmulos produxerunt; ſic obſervatio quædam legitur Phrenitidis a felis ſanguinis adſumptione. Huc aliquo jure addere poſſemus id, quod obſervatum eſt P. Borello *in Obſ. Med. Phyſ. cent.* 1. *obſ.* 65. ubi quis a philtri uſu maniacus redditus eſt.

Omnia hactenus enumerata, ſive alimenta ſive alia, dicit Boerhavius, poſſunt peccare, perinde eſt, per quasnam vias intraverint, vel quoquo modo adhibita. Spiracula cutis vel narium ingreſſa ſi fuerint, facili negotio in cerebrum devenire queunt; ut neminem rei Anatomicæ vel & Phyſiologicæ cognitione parum licet imbutum, latet. Meatus oris, oeſophagi, ventriculi quum tranſierint, & qualitate nociva tum gaudeant, potius eo loci inflammationem progignere poteſt. Verum acrimonia illa ſe poteſt cum ſanguine miſce-

miſceri, & circuitum ſubire, donec forte pervenerit in cerebrum, ejusve membranas, ibique obſtructionem, & accedente ſtimulo febrili, inflammationem, ideoque & Phrenitidem producere valet. Quæ, prout acre hoc per diverſas intret vias, vario in loco exoriri poteſt. Sic cerebrum ubi adficit, obſtruit, inflammat, Phrenitis orietur; pulmonem, anxietates peripneumonia, &c. nascentur, & ita de cæteris. De vapore, fumo poſtea amplior agendi erit occaſio. Adeoque hæcce ſufficiant propria claſſe. Properemus adſecundam claſſem, quæ agit de

GESTIS. Inter quæ referimus cum toties citato BOERHAVIO *Motum totius corporis partisve, animi quoscunque adfectus, quies utriusque corporis ſcilicet & animi, ſomnum & vigiliam.* Singulis explicandis breviter inſiſtam.

MOTUS *totius corporis, vel partis.* Qui, ſi moderatus, ſalutaris, eſt, plurimumque boni præſtat, quod obſervant illi, qui a morbo quodam debilitati, & quaſi exhauſti ſunt. Contra vero modum ſi exceſſerit, frequenter multorum malorum cauſa eſt. Quod experientia ſat triſtis edocet. Nonne viſum, homines, qui citiſſime & diutiſſime curſum inſtituerunt vel alia exercitia fecerunt, in diros, aliquando & exitiales incidiſſe morbos? Nonne id fere confirmatur in ruſticis, meſſoribus, aratoribus, reliquisque, qui corpus ſuum diurno, nocturnoque fere tempore exercent validis laboribus. Hi enim ut plurimum diatheſin habent inflammatoriam, & obnoxii ſunt morbis, quibuscunque acutis, & inflammatoriis. Ex Phyſiologicis notum, motum humorum per muſcularem intendi actionem. Muſculi enim alternatim comprimunt & laxant vaſa, prout vel contrahuntur

tur vel laxantur. Hinc ſua alterna actione compreſſiva ſcilicet & laxativa, motum humorum per venas intendunt, faciuntque, cor citius ſuum ut acquirat ſanguinem, unde citius ſe contrahit, & ſanguinem expellit, unde circulatio celerius peragitur. Ideoque patet, quod quo validior motus muſcularis ſive totius corporis, ſive partis fiat, eo fortius circulatio intendatur, & contra. Hinc etiam cor ad validiorem irritatur contractionem, & ſanguis majori vi circulatur, atque fortiori impetu ad cor defertur. Hinc ejus contractio & laxatio magis multiplicantur. De ejus effectibus videatur maximus forte noſtri ævi Practicus Clar. BOERHAVIUS in *Aphor. de cogn. atque curand. morb.* capite de *morbis ab exceſſu circulatorii motus ſolo oriundis.* Motus enim nimius eosdem fere ponit effectus, quos vidimus, ubi de nimio aëris calore egimus. Mirum itaque minime videri poterit, Phrenitidem ab hac exiſtere poſſe cauſa.

ANIMI ADFECTUS nunc ſequuntur. Hi enim validiſſimam corpori & animo inducunt mutationem. Varii hi admodum ſunt, ut ira, mæror, gaudium, pluraque animi pathemata. Hæc totum ſenſorium commune, adeoque omnes partes nervoſas directe invadunt; unde ingentes turbæ animalitati, & ob mirum conſenſum vitalitati inducuntur. Singula expendere promiſſæ diſſertatiunculæ brevitas non permittit. Unum alterumve modo exemplum adferam. Primo loco pono iram, quæ & furor brevis audit. Quales non videmus ab ira produci effectus. Videas modo excandeſcentem irâ hominem, an quidem multum a furibundo Phrenitico differt? Iræ effectus ſi ſpectemus, nonne hi triſtiſſimi atque aliquando funeſti? Nonne per obſervata conſtat,

homi-

hominem summopere iracundum suum momordisse digitum, & hydrophobum redditum? Nonne FABR. HILDANO visum, quod ira non solum somnum & quietem impediverit, verum etiam sanguinem & humores ita incenderit, ut febris, alienatio mentis, & aliquando mors subsecuta sit. vid. *libr. de Gangr. & Sphacelo cap.* 25. *pag.* 827. Et non mirum. Per iram maximopere læduntur tam actiones quam functiones mentis & corporis. In iracundis omnia quasi constringuntur, unde humorum major motus per totum corpus; cor enim citius sanguinem accipit suum, eosdemque edit effectus, ac vidimus in motu nimio. Humores majori copia & impetu versus superiora, versus caput feruntur, unde facile stagnant, obstruuntur, atque accedente stimulo febrili, qui in illud obstructum agit & illud inpingit, atque attritum auget, oritur inflammatio, oritur & Phrenitis. Ab ira excitata post vulnus contusum cum cranii fractura in juvene observata est Phrenitis. Quale exemplum suis in scriptis nobis reliquit illustrissimus FABR. HILDAN. *cent.* I. *obs.* 17. Casus ille sic se habet. *Erat Juvenis quindecim annorum, qui accepit vulnus contusum cum cranii fracturâ circa bregma. Primo adparatu vulnere dilatato & officulis extractis, adsuppurationem feliciter perductum est vulnus, omniaque symptomata remissa. Elapso vero decimo quarto die, quum adolescens alius (qui circa lectum ludebat) ipsum adiram provocasset, incidit in febrim, & phrenesin, ita ut quarto post die e vita decesserit.* Cranio aperto, inventæ sunt cerebri membranæ undique inflammatæ, atque tum venæ, tum arteriæ omnes sanguine turgidæ. Adeoque nil argumenti amplius pro demonstratione opus

habemus, quomodo ira effectus suos, & qua varietate edat. Nil tam prompte, ut vulgo creditur, ad diathesin disponit inflammatoriam, quam hic animi adfectus. Præterea bilem reddit acriorem atque ejus effusionem efficit. Idem & putandum de immoderato amore, omnique ardentissimo desiderantis conamine.

MÆROR & in causa esse, & nostro ansam præbere morbo potest. Uti nobis exemplum literis mandavit BOERHAVIUS in *Praxi Medica Ultraj. edita in* 8°. 1745. *tom.* 4. *pag.* 7. De Vidua quadam, quæ cum suo orbaretur marito, tranquilla, altero die cum furore debacchabatur. Melancholia in Phrenitidem abierat. Talia & videmus contingere iis, qui generoso ac modesto præditi animo, adversa conflictantur fortuna, atque omnia sibi molesta & tædiosa per aliquod tempus quasi devorant, donec postea erumpant, atque horrenda producnat symptomata. Melancholiam & maniam frequenter a mæstitia oriri quotidiana docet practica observatio. Quidni, febris simul si superveniat, facile posset produci Phrenitis? Unde divus ille in æternum plurimum venerandus senex HIPPOCRATES non male dicit: *Mæstitiæ diu suppressæ in contrarium penitus abeunt morbum.* Talem casum nobis etiam enarrat de fæmina quadam, quam febris horrida atque acuta prehendit. In mærore enim omnia clauduntur, & constringuntur, contrarium obtinet in lætitia, ubi omnia aperiuntur, atque laxantur.

TERROR etiam aliquid facere potest. Quosnam certe effectus eheu! aliquando lethiferos non producit? Quid videmus in mulieribus, & præcipue spasmis hystericis obnoxiis? Nonne hæ, simul ac terrore levi licet

per-

percutiantur, in paroxysmum ſpaſtico hyſtericum incidunt? Nonne obſervamus, puellas vel juvenes laxioris temperamenti, in graviſſimos incidiſſe morbos; quales ſunt paſſio hyſterica, hypochondriaca, epileptica vel ſimilis? Hoſce ſi videmus ſupervenire morbos, an non cogitari liceret, Phrenitidem etiam aliquando ei ſupervenire poſſe, modo congeſtio inflammatoria exinde ad cerebrum determinetur? Id ſatis docet caſus ille, quem narravit BOERHAVIUS loco mox citato, *de juvene quodam generoſo, qui ex terrore incendii de navi in aquam proſiliens, adeo perculſus erat, ut paucos poſt dies, neglecta venæ ſectione, in Phrenitidem delapſus erat lethalem.*

METUS etiam ut cauſa haberi poteſt juxta A. C. CELSUM *lib.* 3. *cap.* 18. in fine. *Raro, ſed aliquando tamen*, inquit, *ex metu delirium naſcitur. Quod genus inſanientium ſpecie ſimile, ſimilique victus genere curandum eſt: Præter quam quod in hoc inſaniæ genere ſolo recte vinum datur.* Scimus quidem Phrenitidem hanc, quam deſcribimus, multum diſcrepare ab ea, cujus mentionem facit CELSUS. Verum an quidem quiſpiam dubitaret, talis diſpoſitio in homine ſi adeſſet, accedente cauſa inflammante cerebri, vel ſimili valida, num non oriri poſſet inflammatio cerebri, ejusve membranarum, adeoque & Phrenitis? Tales caſus etiam reperitur apud J. SCHENK. *in Obſerv. Medic. lib.* 1. ubi agit de *Phrenitide obſ.* 3. *pag.* 61. ubi ex metu & mærore gravi inciderat in furorem puella. De reliquis animi pathematibus non eſt, quod dicam. Plura quis ſi deſideret, adeat auctores, qui ſat fuſe & ample de hiſce diſſeruerunt. Transeamus itaque ad alia.

QUIES scilicet tum *animi*, tum *corporis* examinanda sequitur. Hæc optima aliquando multorum malorum præservatrix, modum ni excedat, tum sæpe detestabilia producit mala. Inducit enim si nimia, universæ humorum massæ torporem, unde facile stagnationes atque obstructiones illæ lentæ, & accedente alia causa, impetum faciente in hoc stagnans & obstructum, facillime inflammatio &c. exoritur. Hæc cerebro ejusve membranis si adplicentur, facile noster induci potest adfectus.

REFERTUR & huc *somnus*. Hunc & inter causas procatarcticas, ponendum esse patet. Inspiciamus modo aurea dicta HIPPOCRATIS, qui variis in locis somnum commendat, ut bonum remedium, uti patet ex *sect.* 2. *aph.* 2. *somnus*, inquit, *si delirium sedat*, *bonum.* Hoc si consideremus, & contrarium videamus, scilicet modum dum excedat, nonne concludi potest, somnum valere, efficere morbos acutos & inflammatorios? crederem fere æque facile ac quietem, quum sit status ei fere similis, similesque, si non pejores, effectus producere aliquando, possit. Somnus homini per quam salubris, maxime requiritur, ut inde reficiatur, unde hic quadrat HIPPOCRATES *sect.* 2. *aph.* 1. *Quo in morbo somnus laborem facit*, *lethale*, *si vero somnus juvet*, *non lethale.* Verum motum si excedat, summopere nocet, & somni nimii effectus cum illis nimiæ quietis coincidunt; id vero somnus singulare habet, quod humorum motum in cerebro, sensorio communi, nervisque reddat lentiorem. Inertia inde, flacciditas, torpor toti inducitur animalitati. Præcise ut de quiete diximus, unde quo diutius quiescit sensorium commune eo major ad actionem ineptitudo.

titudo. Hinc ſomnus nimis protractus ſtagnationem in cerebro auget, & per eum humores lenteſcunt, unde obſtructiones lentæ. Unde ſi accedit cauſa motum reliquorum humorum intendens & illas obſtructiones impingens orirur inflammatio, oritur & Phrenitis. Adeo ut ſomnus, ut ex dictis eluceſcit, nimius aliquo ſaltem jure huc referendus, ut cauſa Phrenitidis procatarctica poſſibilis.

MAJORI certe jure ut cauſæ ponuntur *vigiliæ*, quæ ab omnibus ferme auctoribus æque antiquioribus, ac hodiernis inter has referuntur cauſas. Licet videamus apud FABR. HILDAN. *l. c. p.* 828. Phrenitidem poſſe eſſe & cauſam vigiliarum. Quicquid ſit, vigiliæ plerumque eam antecedunt, & concomitantur. Unde ambæ facile ut cauſæ queunt accuſari. Vigiliæ, quæ in Phrenitide occurrant, diſtinguendæ abiis, quæ febribus plerumque ſuperveniunt, haſque fere ſemper in illis metuunt Medici, cogitantes, Phrenitidem aliquando poſſe ſupervenire. In vigiliis totum commune ſenſorium in continuo verſatur motu, variæque ſemper adſunt ideæ, quam ob cauſam homo ſomnum capere nequit, unde magnum ſpirituum diſpendium. Porro ſub iis humorum ſemper velocior in capite circulus, inde impetus in illud augetur, atque vaſa ſic diſtenduntur, ut alia comprimant. Semper enim homo vigilans motus majores minoresve habet, qui in ſomno quaſi intercipiuntur. Hinc vigiliæ ad accelerandum humorum motum idem præſtant, quod motus auctior. Ideoque quo diutius homo vigilavit, eo pulſus ejus fortior, atque celerior, qui poſt ſomnum lentior & debilior eſt. Secretiones, cæteris paribus, in vigiliis, atque excretiones copioſiores augentur;

tur, & quum dissipatio ab humorum motu pendeat auctiori, erit attenuatio major. Ex quibus necessario producuntur auctioris atque intensioris Circulationis effectus, qui sunt calor, attritus, dissipatio fluidorum, detritus solidorum, &c. Erit hinc major perspiratio, unde liquidiora dissipantur, crassiora relinquuntur, condensantur, quæ facillime, accedente alia causa, vividam quasi flammam concipiunt, atque cum in vigiliis caput præprimis patitur, facillime oboriri potest Phrenitis. Præterea majori attenuatione atque dissipatione partium subtiliorum, salia & oleo acuuntur. Præterea humores ex se acres aliquando majorem acquirunt acrimoniam, unde dispositio facili negotio induci potest atrabilaria. Quæ aliquando per se hunc morbum producere valet. A nimiis vigiliis consumuntur spiritus, difflantur subtiliora, reliqua exsiccantur, unde functionum perturbatio, quæ iterum alia gignit symptomata, ut deliria, furores, maniam &c. atque accedente febri, aliave causa motum humorum intendente, Phrenitis &c. nascuntur. Quale exemplum habetur, ubi Phrenitis orta sit, quod quidam per tres continuas noctes somnum in oculis non vidisset, liberis interim symposiis, atque diversis, crassis & fortioribus cerevisiis & vinis sese opplevisset. Uti legere est apud P. FORESTUM *in obs. Lib.* 10. *de cerebri morbis Obs.* 1. *pag.* 311. Præter hæc nimis vigilantes homines emacerantur dictam ob causam, atque ut plurimum tabidi vel & hectici pereunt. Nil enim magis nocet, quam quando homo vigilans semper occupatus sit in uno eodemque objecto, cujus rei tristia exempla nobis aliquando præbent mathematici, qui continuo in calculis versantur mathematicis. Nec non illi, qui di-

vi-

vinæ rei ſunt nimis addicti, & devoti. Quam brevi enim hi toto pallent atque languent corpore, & quaſi exſucci redduntur. Ideoque optime cecinit OVIDIUS *libr.* 3. *Metamorphoſeωn:*

Attenuant vigiles corpus miſerabile curæ,
Adducitque cutis maciem, & in aëra ſuccus
Corporis omnis abit, vox tantum atque oſſa ſuperſunt.

Atque maxime inde debilitantur ægri, & eorum vires pereunt ob continuum attritum. In vigiliis ſemper motus, & a motu attritus datur. Hinc deſtruuntur ſolida, quæ non reparantur, ſi defecerit ſomnus vel quies. Quid enim vigiliæ auctæ vel imminutæ ulterius efficiant, docet Cel. A. CAAU BOERHAVIUS *in tract. de impetum faciente in* HIPPOCR. Adeoque vigiliæ ſummopere nocent, ut ſignum futuræ Phrenitidis, quod adeo damnavit Medicorum Parens atque Princeps HIPPOCRATES *Sect.* 7. *Aph.* 18. ubi dicit, *A vigiliis convulſio aut delirium malum.*

DE *Excretis* atque *Retentis* agit tertia cauſarum procatarcticarum claſſis, ad quam nos jam accingimus. Per hæc intelligitur, quod id, quod naturaliter retineri debuiſſet, excernatur, vel id, quod excerni debuiſſet, retineatur. Primo ubi excernitur retinendum, varia & diverſa producit mala. Sic perſpiratio a Celebri Sanctorio, unde nomen adepta ſuum, valde aucta, ſudoris, urinæ, ſalivæ &c. evacuatio. A nimia narium hæmorrhagia varia Symptomata obſervavit P. BORELLUS *in Obſ. Med. Phyſ. cent.* 2. *obſ.* 87. ubi homo quidam per longum tempus narum hæmorrhagia vexatus, adeo de-

bilitatus atque emaceratus erat, ut mors in propinquo esset, quotidie enim sæpius sanguinem effundere solebat. A nimio veneris abusu, qui maximopere damnatur ab auctoribus, & sæpe pro causa habetur, nostrum morbum produci posse, palam est. Quemadmodum videmus apud P. ALPIN. *in med. Ægypt. lib.* I. *c.* 13. *Quamobrem*, ipsissimis ut utar Auctoris verbis, inquit, *cum ibi multi malo utantur victu, aërisque inæqualitate & venere immoderata, non mirum erit, eos quoque in multos incidere morbos.* Et hisce eorum morbos Endemicos enumerat ut *oculorum Lippitudines, quas græci* Ὀφθαλμίας *vocant Lepram, Elephanthiases, Phrenitides exitiosissimas, homines paucis horis perdentes, & reliquos inflammatorios.* Unde hodiernus Medicorum forte Princeps HOFFMANNUS in operibus suis doctissimis *tom.* 3. *Sect.* I. *cap.* 2. dicit. *Quando ejusmodi subjecta morbis adficiuntur acutis, summo nunquam vitæ periculo sunt exposita.* Ex hac nimia veneris exercitatione varia producuntur symptomata, uti colligere licet ex *Pathologiâ* Clar. GAUBII. Reliqua silentio prætereunda, quoniam metus est, ne dissertatiunculæ moles modum excedat. Omnes hæ evacuationes quocumque nomine gavisæ, ultra modum inductæ viam ad omnis inflammationis diathesin sternunt. Liquidioribus quippe dissipatis, reliquis inspissatis, ad obstructiones, inflammationesque aperitur via.

DEIN vero excernendum dum retinetur, eodem fere redit. Sic a lochiis retentis observationem habet FABR. HILDAN. *cent.* 5. *obs.* 42. De Matrona quadam, quæ feliciter pepererat filium sanum, cui statim subsequente nocte dolores ventris & lumborum oborti sunt. Quibus

pau-

paululum auctis lypothymia supervenit, & prae summo ac molestissimo dolore vigiliae & Phrenitis. Adeo ut mors jam instare visa sit. Accersitus ille, in causas inquirens, invenit in causa esse lochiorum retentionem atque suppressionem. Medicinaque juxta artem adhibita tandem convaluit ægrota. Et ipse a solis iis suppressis malorum Chaos observavi, in Collegio Clinico Clar. Præceptoris mei nunquam non cum honore atque æstimatione nominandi WINTERI. Simile quid attestatur diligentissimus Medicorum observator, SYDENHAMUS nempe *in diss. Epist. pag.* 421. Et Phrenitidem ex hac causa ortam lethalem censet. Quod de lochiorum suppressione dictum etiam convenit de mensium retentione, & ab horum suppresso fluxu dementiam observavit P. BORELLUS in *obs. Med. Phys. cent.* 2. *obs.* 30. Huc quoque quadrant hæmorrhoides suppressæ vel retentæ. Item narium hæmorrhagia suppressa. Quemadmodum demonstrat observatio illa, quam legimus apud illustrissimum HOFFMANNUM *tom.* I. *p.* 347. *Quod aliquot exemplis confirmatum habeat*, (hæc ejus sunt verba,) *circa annum vigesimum primum, retento narium stillicidio, post sanguinis stagnationem in cerebri vasis, qualis sub leviori apoplectico insultu esse consuevit, Phrenitidem accessisse.* Huc referendæ omnes evacuationes per quascunque vias egredi solitæ. Tandem a perspirabili sanctoriano, quod acutis morbis producendis infimum aliquando non tenet locum, impedito, quotidiana teste experientia, varia videmus progigni mala. Hujus exempla plurima enumerant auctores. Qualia & ego quam plurima observavi in eodem Clar. WINTERI Collegio Clinico. Ubi quotidie fere conquerebantur de

omnis generis malis, ut arthriticis reliquis. Hæc retenta in communem humorum laticem rapta, varia creat mala, prout varias occupat partes, v. g. si pedes podagram, manus, Cheiragram & sic de reliquis. Nonne deponere se posset in cerebrum ejusve membranas, ibique obstructionem, inflammationem &c. imo Phrenitidem producere? sic exemplum repertur apud J. SCHENKIUM in *Obs. Medic. lib.* 1. *pag.* 64. *obs.* 3. ubi *de Phreniticis mortuis* agit, *alicujus, cui ex levi catharro* (forte ex perspiratione insensibili inhibita) *natus erat rubor in facie cum futuri delirii notis, subsecuta Phrenitis, convulsio, tremor leviusculus, & sudor frigidus, unde æger mortuus est.* Hujus forte varia possent produci Exempla. Verum hæc pro illustratione sufficiant; Lectoremque ad Auctores referimus. Ne de salivæ, urinæ &c. evacuatione impedita, & evacuationibus solitis præpeditis mentionem faciamus, toties inflammationis origo dimetienda. Et non mirum. Suprapondio enim liquidorum posito, natis congestionibus, obstructionibus paratur via. Ita stimulo accedente, determinatione que orta ad encephalon nostrum & emergere posse malum quis negabit? Hisce annumerare licet omnes humores sive blandi sint sive acres, in cavum calvariæ nonnunquam delati. Quales sunt ichor, pus, sanies &c. Omnes hi, qualitatem licet non possideant nocivam, suo pondere tamen nocere possunt, quatenus comprimant; obstructiones pariant. Hisce enim alia causa humorum intendent, vel similis si accedat, augebitur obstructio, atque orietur inflammatio & Phrenitis. Sic ex Cerebri abscessu lethargus atque Phrenesis orta legitur apud P. BORELLUM *l. c. cent.* 2. *obs.* 49. Præterea

hu-

humores hi ſtagnatione atque calore acres redduntur, corrodunt, ſtimulant, producunt inflammationem, gangrænam cerebri, quæ omnino lethalis eſt. Omnia hæc quocunque ſalutentur nomine blanda vel acria per μετάςασιν in cerebrum delata, cauſæ dici poſſunt. Qualia exempla habent BONETUS, aliique. Ita a vermibus utramque meningem perforantibus Phrenitidem ortam legimus apud BONETUM *in ſepulchr. Anat. lib.* 1. *ſect.* 7. *obſ.* 8. Exſtant & alia heterogeneorum in capite contentorum exempla alios apud obſervatores. Sic apud eundem BONETUM *l. c. obſ.* 18. legitur Phrenitis producta ab aqua cærulea cerebri ventriculos replens, a qua ſiniſter ventriculus exeſus erat. Idem & Obſervavit SCHENKIUS *in obſ. Medic. rar. lib.* 1. *de Phrenitide*; ubi agit de *ejus cauſis obſ.* 1. *pag.* 61. Ita & invenitur Phreneſis absque inflammatione cerebri ejusque membranarum, ab aquoſo & pituitoſo humore in pluribus cerebri partibus orta, apud BONETUM *l. c. obſ.* 16. Et hæc ut venena ſunt habenda. Omnia hæc rite perpenſa atque examinata anſam facile præbere poſſe noſtro adfectui, ex dictis ſatis eluceſcit. Atque nemo niſi a re Medica plane peregrinus, & hoſpes illud in dubium vocabit.

TANDEM ad quartam ultimamque cauſarum procatarcticarum claſſem, quæ agit, de quocunque modo vel quacunque forma adplicatis, unde innumera producuntur mala, depingendam nos accingimus. Primo agitur de aëre. Hic forte ſua dote & qualitate eodem peccare poteſt modo, ac diximus, quum ſpeciatim de eo dictum ſit, in prima harum cauſarum claſſe, adeoque eum hic ſilentio, ſiccoque tranſimus pede: Et agemus

de vapore, qui se per atmosphæram communem distribuit, corporique se adplicat. sic de odore moschi & ambaræ varia videmus in fæminis oriri symptomata, lypothymias, passionem hystericam &c. De accenso sulphure mala pectoralia & alia. Hæc in cerebrum si deveniant, nonne possent morbos cerebri, & speciatim adfectum phreniticum producere? Idem & locum habet de reliquis vaporibus atque exhalationibus. sic a periculosa arsenici adplicatione multa habet FABR. HILDAN. *cent. 6. Obs.*. 80. Ubi dicit, postquam cæteras partes, ubi se deponere venenum illud potest, ejusque effectus iis in locis annumeraverat *per nervos ad cerebrum si adscendat, deliria, vigilias, inquietudines, aliaqua gravissima symptomata, imo etiam aliquando mortem infert*, uti id confirmat duobus exemplis & sequenti observatione. sic dementiam ab Embrocatione frigida observavit P. BOBELLUS *in Obs. Med. Phys. cent.* 2. *obs.* 13. De fomentis atque cataplasmatibus magis verum esse posset, quoniam hisce adplicatis partes redduntur laxiores, inde facilis errori loci, & ex hac causa obstructioni via paratur, & accedente causa motum humorum intendente, & in illud obstructum inpingente, oritur inflammatio, oriuntur & alia mala eam concomitantia vel sequentia; atque ad illum locum, cui adplicantur vel admoventur, omnes alliciuntur humores, unde reliquæ partes suo orbantur liquido; quid tum fieri debeat, facile elucescit. Vestimenta etiam nocere possunt prout vel intempestive retineantur, vel nimis cito deponantur, unde facile perspiratio impeditur sanctoriana; unde mala dicta, quum de ea egimus, oriri possunt. De Linimentis, unguentis, Balsamis Emplastris vel ut

uno

uno complectar verbo, omnibus pinguibus, corporis superficiei admotis quocunque modo, etiam nocere posse, per observata constat: Hæc enim poros atque meatus claudunt, obturantque; sic perspirationem inhibent, & sua producit phænomena; quæ materies absorpta circulatur cum sanguine, deponitur in aliquam partem, unde & forte in cerebrum, ibi stagnat, acris evadit, vel per humorum motum in minima inpingitur vascula, obstructionem parit, atque inde produci inflammatio potest. Tandem omnia omni modo lædentia, & vulnerantia, contundentia, erodentia &c. Hæc cognitu minime difficillima; per hæc enim validam subit corpus mutationem, & præprimis capiti si contingat, destructio, compactio, obstructio &c. fiunt, & accedente tum febre, oriri posset Phrenitis. Uti nos docent *Observata* Is. CATTIERII *Medicinalia*, quæ post suas *observationes Medico-Physicas* in lucem edidit BORELLUS, *obs.* 7. *p.* 31. dignus certe, qui legatur, hic casus est: ubi in scholio ad hanc observationem adducuntur variæ cerebri concussionis, atque commotionis causæ, ex Hippocrate, aliisque veteribus adductæ. Sic & ex contusione musculi temporalis, varia symptomata, inter quæ febris acuta, delirium, observavit *idem l. c. obs.* 9. *p.* 39. De Lapsu ex alto in caput, inque illud allisione ad corpora dura lapidea &c. etiam mentionem facit: Verbo omnia, quæ commotionem, concussionem, contusionem &c. cerebri faciunt, eorumque effectus producunt, ibi inveniuntur, atque graphice depinguntur. Ex quibus hactenus dictis atque enumeratis patet, quatuor quidem esse causarum procatarcticω̃n classes; has vero dividi & subdividi in alias classes: adeo ut earum finis fere non detur; &

vita

vita nimis brevis, arsque nimis longa fit, quam omnium exactam ut exhiberemus descriptionem.

De causis ut agam Proegumenis, seu prædisponentibus, quæ & causæ dicuntur remotæ, oportet. Hæ illæ sunt, quæ in corpore præexistunt; homo cum iis sive nascatur, sive post nativitatem eas sibi contrahat; quibus præsentibus morbus facilius, accedente forte unâ aliave ex causis procatarcticis, in actum deduci potest. Hæ iterum variæ sunt, ut temperies, diathesisque calida inflammatoria, Plethora, Adolescentia, seu ætas, sexus & alia plurima infinita. Temperies calida homini maximopere nocet; nil enim magis ad inflammationem disponit, quam temperies calida, plethorica. In hac semper major humorum motus datur, & quo major motus, ei major attritus, & quo major attritus, eo major dissipatio, atque exinde partis, imo totius corporis siccitas atque rigiditas oboritur, exquibus experientia teste, homines in morbos incidunt inflammatorios: tenuissimi penuria in exsicatione est; sanguis redditur immeabilis, obstruitur, vasa implet, unde majora distenduntur, minora comprimuntur; & ita oritur inflammatio, quodsi hæc in cerebro ejusve membranis contingit, oritur Phrenitis. Plethora enim multum certe in illam hominem reddit pronum; naturaliter omnia in capite plena sunt, quæ adhuc magis implentur per plethoram, unde cerebri functiones depravantur. A plethora omnes arteriæ sive sanguineæ sive aliæ distenduntur, dilatantur majores, ut dictum, minores comprimuntur, unde Circulatio per cerebrum turbatur, ex quo obstructio & accedente causa in hoc obstructum motum intendente, oritur inflammatio, oriuntur Phrenitis, aliaque. Quæ omnia

nia augentur, dum per calorem febrimve ſanguis rarefactus exagitatusque vaſa plus diſtendit. Hinc neceſſe, majoribus diſtentis vaſis, rubro ſanguine plenis, minora ut comprimantur reliqua; durum enim calvariæ os cedere nequit. Ideoque conſtat, cur a plethora fere ſola omnes ferme capitis morbi produci queant. Et hinc toties ſola hac de cauſa apoplexia frequenter oritur. Et præterea omnes fere plethorici in morbos proni ſunt inflammatorios; ſanguinem fere utcunque habent craſſum lentum, qui facile obſtruitur, atque vividam quaſi in flammam ponitur. Diatheſis vel diſpoſitio inflammatoria dicitur adeſſe, ſi homines propria temperie in morbos vergunt inflammatorios; in illis vero hoc obtinet, quod habeant vaſa robuſtiora contractiora, humores denſos, acriores, celeriusque motos, pulſus majores, crebriores &c. atque confirmatur hoc, dum pluries morbo quodam inflammatorio laboraverint. Hincque obſervatio nos edocet, quod quo facilus homines morbo quodam inflammatorio corripiantur, eo levius in Phrenitidem incidant; tum enim materies illa inflammatoria verſus caput tendit, & in cerebrum vel ejus meninges delata eam producit. Reliquas ſilentio prætereo temperies. Notandum tamen in genere, hominem temperamenti ſanguineo-cholerici maximopere morbis acutis inflammatoriis obnoxium eſſe; Cholerici enim nimis cito ira excandeſcunt, quam vidimus etiam poſſe contribuere ad morbos inflammatorios:- hi ſemper in perpetuo verſantur motu, nunquam fere quieſcunt, unde ut dictum, quo major motus, eo major attritus, & ſic porro, ex quibus inflammatio facile oriri poteſt. Juventus ſeu Adoleſcentia huc etiam aliquid contribuit. Hanc plus in omnes

nes morbos inflammatorios seniori pronam docent scripta Hipocratica, quotidianaque experientia. Divus ille senex *in sect.* 3. *aphor.* 29. morbos Juvenum enumerat, qui omnes fere sunt acuti; si vero hanc ultra ætatem progressi fuerint, præter alios plures enumerat etiam Phrenitidem ut in *sect. ead. aph.* 30. In illa enim ætate, quæ est ab anno decimo quarto ad quadragesimum secundum, dispositio inflammatoria major est, melius saltem effectus producere valet suos, quam in provectiori ætate. Hanc ætatem egressi inflammationibus minus corripiuntur, licet contingat, ut nonnunquam inflammationem patiantur. Sexus etiam ad morbos multum facit acutos. Virilis compagem solidorum strictiorem, humores densiores habet, adeoque multo magis in inflammatoria mala pronus est, quam sexus sequior, qui laxioris est structuræ, ideoque non ita facile morbis inflammatoriis obnoxius; verum & hunc posse corripi morbis acutis & Phrenitide, vidimus, ubi de excretis retentisque agebamus, similiterque observationibus confirmavimus. Cacochymia quæcunque capiti inprimis inhærens ut purulenta, ichorosa, venerea, vel alia quæcunque, modo virtutem possideat rodendi, vellicandi, stimulandi &c., nonne hæc æque ac alia, de quibus egimus, ubi effectus heterogeneorum in capite contentorum enumeravimus, Phreniasin producere possunt? crederem omnino. Tali modo prædita sint acrimonia vi atque indole. Hisce varia & infinita addi possent, ut causæ remotæ vel prædisponentes; verum de plerisque quum egerimus sub titulo causarum procatarcticω̃n, non opus, eadem ut repetamus; sed missa faciamus. Simili ferme ratione adnumeramus vasorum cerebri, ejusve

ve membranarum angustias, unde circulatio impeditur, quia sanguis minima pertranare nequit; sic obstructionibus facilis ansa præbetur, quibus si accedat motus humorum intensior, febrisve, oriuntur inflammatio, Phrenitis, aliaque mala. Plura huc referri fortasse possent; verum moles dissertatiunculæ ob rerum copiam modum excederet: quales sunt extravasatio, constrictio, venæ varicosæ, & sanguine nigro atrabilario turgentes, medulla cerebri siccior, & forte adhuc innumera. Lectorem ad auctores referimus.

Tandem pervenimus ad causam nostri morbi proximam, quæ hic illa est, qua posita, ponitur morbus; qua vero ablata, tollitur, morbumque immediate profert, & cum morbo ut sua perit causa. Adeoque Celeb. Boerh. *in Aphor. de cogn. atque cur. morbis* §. 777. inquit *Quidquid has*, nempe inflammationes Cerebri vel ejus membranarum, vel utriusque simul, *producere potest*, *fungi poterit causæ propioris munere.* Et ideo huc pertineret enumerare inflammationis in genere causas, de quibus agit *l. c.* §. 375. *& seqq.* & tum inprimis talia si concurrant, quæ has inflammationis ad caput determinant causas, ut vidimus in classibus causarum procatarcticarum & prædisponentium. Causa Phrenitidis proxima consistit in nimio ac impetuoso sanguinis ad caput adpulsu, a febre aliave causa producto, ejusdemque intercepto per vasa minima libero transitu, a spissitudine sanguinis arteriosi rubri, vel ab arctatione vasorum; ita ut liquidum ea pertranare nequeat, sed coërceatur, atque sistatur. Unde effatum illud Hippocraticum aureum huc valet, quod prudentia atque ratio hominis consistat in constanti sanguinis in cerebro habitu, sive rectius in ejusdem æquabili

F 2 motu,

motu, adeo ut hoc interrupto, concidant ſimul & prudentia & ratio. Et ita tandem ad finem perduximus omnium cauſarum ſaltem, cognitarum enumerationem; multæ forte fatemur, adhuc ſuperſunt, verum feſtinandum eſt. Tranſeamus itaque ad morbi noſtri Diagnoſin, in qua plurima occurrunt.



CAPUT TERTIUM

De Diagnoſi.

Hac morbi nobis innoteſcunt, eosque ab aliis diſtinguimus, atque ea ſiſtit media, quibus Medico patet, qualis ſit hic morbus, hæcque vocantur ſigna Diagnoſtica. Signa hæc Phrenitidis varia ſunt, quæ pro maxima parte enumerare libet. Phreniaſis, ut vidimus ex ejus definitione, eſt inflammatio cerebri, ejusve meningum, vel utriusque ſimul, ſaltem producitur ab inflammatoria in iis partibus ſtaſi, patet hinc, incipiendum ab inflammationis generalis ſignis. Quæ ſunt calor, rubor, dolor, tumor &c. Omnia hæc in Phrenitico adparent, excepto tumore, qui forte adeſſe quidem poteſt; verum tumor, qui in aliis inflammationibus adeſt, hic conſpici nequit, quia inflammatio ſub Calvaria hæret, ſub galea illa oſſea dura & firma; nulla enim inflammatio adeſt, quin tumor adſit, etſi, de quo minime dubitandum, quid inde fieri debeat, docet *Clar.* DE GORTER *in Medic. Dogmat. cap.* 1. §. 23. *pag.* 28.

alii-

aliique in Arte celebres viri. Præter hæc ſpecialiora ut delirium ferox ſæpe, perpetuum, febris acuta, continua, mentisque alienatio adeſſe debent. Hiſce præſentibus concludi fere poteſt, Phrenitidem & non alium adeſſe morbum. Præter hæc data, innumera forte alia occurrunt ſigna, quibus firmior redditur Medicus in diagnoſi, quorum aliquot enumerare, animus nunc eſt. Diſtinxerunt Auctores Phrenitidis ſigna, in ea, quæ eam futuram, & quæ præſentem indicant; verum quoniam ex iis futuræ pleraque conveniunt cum præſentis ſignis, hinc futuræ Phrenitidis ſigna explicare neceſſe minime credidimus; illa vero modo enumerare. Quæ hæc ſunt. Primo omnia fere inflammationis generalis ſigna, ut dolor capitis internus inflammatorius; oculorum, totiusque faciei rubor; febris acuta continua; ſomnus interruptus; inſomnia terrifica; vociferationes variæ, multæque; aurium ſonus varius, ut ſonitus, tinnitus, bombus &c. objectorum geminatio; lacrymæ ſponte & continuo deciduæ; ægri corporis varium in modum jactitatio; urina cruda, alba tenuis; reſponſio iracunda, vana, pauca in ægro alias moderato, modeſto & multa loqui ſolito, oblivio ſubitanea; cæteraque alia infinita, quæ ſi adfuerunt, juxta omnes auctores Phrenitidem inſtare indicant. Hæc tanquam Phreneſeos inſtantis ſigna prognoſtica habenda, & Medicus ſi accerſitur ad ægrum his ſymptomatibus conflictum, Phrenitidem orituram prædicere poteſt; uti veteres HIPPOCRATES inprimis atque GALENUS in prognoſticis ſummopere felices, in ſcriptis ſuis ſat luculenter demonſtrarunt. Jam oſtendere animo libet, quænam ſint Phrenitidis præſentis ſigna, præcipua ac pathogno-

mica dedimus, reliqua breviter quantum possumus, enumerabimus. Inter hæc (ordinem quendam servando) primo occurrit omnium functionum, sensuumque externorum & internorum læsio. Ex causarum enucleatione patuit, quam varie & mire adficiatur cerebrum, totumque corpus humanum Phrenitide correptum. Functiones depravantur animales ob adfectum caput, ex quo animalitas producenda; motus interruptus, convulsivus, inordinatus ob nimiam spirituum agitationem; hincque corporis mirum in modum jactitatio: adest aliquando Τέτανος Ὀπισθότονος, Ἐμπροσθότονος; adeo ut totum corpus quasi convulsum sit. Læsi sunt sensus exteriores; sine sensuum organo aliquando jacent, adeo ut quicquid ipsis facias, nesciant; verbo omnes fere sensus depravati sunt, uti patet ex visione: vident quidem; verum minime distinguuut. Idem de sensibus interioribus censendum, uti ex effectibus elucescit; imaginatio enim corrupta est, admiranda certe sibi imaginantur; cogitatio atque memoria læsa sunt, quoniam videmus phreniticos, ubi aliquid petierint, statim quæsiti oblitos esse: pro exemplo, quo omnes ferme utuntur Auctores adducimus, quod matulam petant, quæ sibi si porrigatur, obliti sint, sese eam petiisse: vigiliæ adsunt perpetuæ, quoniam continuo in conspectum veniunt objecta: unde somnus turbulentus, interruptus, ex quo surgunt, exsiliunt & hujusmodi alia patiuntur; in vigiliis cerebrum, nervi, adeoque totum commune sensorium tenuissimo scatent fluido, & ideo fibræ ac membranæ tensæ atque rigidæ persistunt, ut hæ actiones a mente percipiantur; nil est quod corpus adeo emacerat, exsiccat, vires spiritusque consumit, quam illæ

vi-

vigiliæ nimiæ & protractæ, uti patet, ubi de vigiliis ut causa Phrenitidis procatarctica agebamus, adeoque pro tali causa & symptomate hujus morbi habendæ sunt. Mærorem vel ejus contrarium lætitiam nimirum adesse observatur, prout variat causa; mæror si in causa, tum mæror, & contra adest: aliquando modesti, aliquando iracundi sunt, ut sibi ipsis, amicis, aliisve necem inferrent; vestimenta dilacerant, se ipsos pulsant; in adstantium adspectum spuunt, reliquaque peragunt horrenda: nolunt lecto decumbere, sed surgere malunt, currere, ambulare per plateas volunt. Uti exemplo confirmat P. FORESTUS *in Obs. & curat. Medic. atque Chirurg. l.* 10. *p.* 311. quemadmodum ipse de *phrenitico* expertus est, *qui in illum irruisset, nisi adstantes eum servavissent, vel ægrotum retinuissent.* Et de altero, *qui templum intrans voce clangosa furibundi adinstar hominis exaltabat, adeo ut tota turbaretur hominum attentio.* Hinc stricte monet, *tales ut phrenitici probe & diligenter custodiantur* simile quid habetur apud P. BORELLUM *in Obs. Med. Phys. cent* 4. *obs.* 71. *de Phrenitico per tantillum temporis solo absque custodibus relicto, qui statim surrexit, & ex fenestra altissima aperta præcipitem se dedit, unde brevi mortuus.* Hinc summopere commendat *diligentem custodiam, & ægros delirantes nunquam solos esse relinquendos, nequidem per momentum;* dicit enim, *astuti sunt in proprium damnum, & sibi fingunt, se injuria captivos retineri, & evadendum esse per fenestras arrepta occasione.* Tremor adest, quia systhema nervosum, imo totum commune sensorium redditur imbecille: quanquam Phrenitici, omnesque delirantes valde robusti sint; quia nervorum gene-

genera quo ficciora, eo robuftiora, adeoque validiores motus ob ficcitatem peraguntur. Ex caufis procatarcticis, cæterisque remotis conftat, quod hoc in cafu omnia fubtiliora diffipentur, craffiora relinquantur, corpus exficcum atque fanguine, præter craffum, tenacem, valde inflammabilem ob nimiam terræ copiam, orbatum reddatur, unde exficcatio illa atque motus provenit varius. Præfto etiam eft manuum tremor, atque alia fymptomata, quæ græcis Κροκιδισμὸς atque Καρφολογία dicuntur: prius floccos evellere de veftimentis, integumentis, pofterius feftucas paleasque de parietibus legere vel & colligere denotat. Quod omnes obfervaverunt in Phreniticis auctores; hocque jam damnavit divus Medicorum Patronus atque fenex, HIPPOCRATES fcilicet dicens, *manuum gefticulationes peffimas effe.* Et hæ femper juxta Clar. GORTER. *in Medic. Dogmat. cap.* I. *p.* 33. obfervantur, quando homo ex cerebri inflammatione delirat, ut fit quafi certum delirii fignum cum debilitate. Interim mæfti jacent, nil fere, quicquid rogaveris, refpondent, unde femper murmurantur, atque tales ægri tacite quafi conqueruntur. Sunt qui lucem abhorrent, quia in illa fpiritus maximopere exagitantur, atque objectorum confpectus, femper in mentem veniat, funt & qui lucem amant, & fic de cæteris.

VITALES quoque functiones læfæ funt, quod patet 1°. ex refpiratione, quæ magna atque rara, & illa eft, quam divus fenex adpellat, magnam atque longo temporis intervallo factam; manent enim diu Phrenitici, antequam aëra hauriant, tum valde infpirant atque exfpirant, iterum aliquamdiu morantur, antequam de novo infpirent: Et RIVERIUS talem refpirationem adeffe

di-

dicit, quia Phrenitici respirare obliviscuntur. Hæc rara respiratio, oppressum esse cerebellum, denotat; illaque ratio est, cur hoc officio suo rite fungi nequeat. Unde omnes æque solidorum ac fluidorum motus depravantur, quod attendenti facillime adparet in motu liquidorum circulatorio. Pulsus enim parvus est propter obstructionem; sanguis cerebrum vel totum caput libere permeare nequit: ideo cor sui sanguinis non debitam acquirit copiam, unde circulatio imminuta, adeoque & pulsus parvus. Adparet etiam idem durus, quemadmodum plerisque in morbis inflammatoriis. Quod GALENO jam innotuit, dicenti *Phreniticorum pulsum durum atque nervosum esse*, & quidem præcipue si membranæ cerebri adfectæ sint. Adest & pulsus undosus ob adfectum cerebrum, uti & rarus in delirantibus fere semper adest. Ideoque videmus varietates pulsuum, quas GALENUS jam novit, monuitque, pulsus phreniticorum admodum varios esse; aliquando sunt frequentes & celeres, quod fere ubique in morbis acutis atque febrilibus contingit, tum & tremuli, undosi atque inæquales sunt. Nonnunquam & occipitii dolor adesse observatur, quod & cerebelli læsionis signum esse posset.

NATURALES functiones læsionem quoque patiuntur: adest etenim frequenter adipsia, quod mirandum, cum ægri morbis inflammatoriis conflicti maximopere sitiant, omnesque hic sitis causæ adsint, ut siccitas, æstus & reliqua. Quod malum est signum; quum e contra in hydrope, in quo omnes fere sitis causæ absint, sitis magna adsit, quod malum. Sitis enim nulla nostro in morbo denotat, ita compressum esse cerebrum, ut sitis sensum minime percipiat æger: hancque ob rationem mag-

nus HIPPOCRATES, in *Prædictionibus*, pronunciavit, *Phreniticos exiguo uti potu*, *malum*, *ſed nihil ſitire perniciosſum.* Alvus adſtricta & clauſa inflammationis ut plurimum ſignum, atque in omnibus ferme morbis obſervatur inflammatoriis; humores etenim omnes furſum rapiuntur, unde inferiora liquidis orbantur privanturque ſuis. Urina aliis in inflammationibus rubra flammea, quod hic minime obtinet; ſed frequenter, imo juxta obſervata dixerim, fere ſemper tenuis, pellucida, aquæ puræ ſimilis eſt, quod quoque peſſimi eſt præſagii: notat enim liquidiora e corpore diſſipari, craſſiora in eo relinqui. Lingua adparet aſpera, nigra, aliquando citrina, imo ſalebroſa, quod fieri dicunt a vaporibus furſum elevatis, bilioſis, aliisve. Bilis in ſuo quoque turbatur officio, quod patet ex alvi excrementis, quæ alba dejiciuntur; eo quod hæc nimiá in inteſtina deferatur copiâ, atque acrior reddatur. Ex omnibus hiſce ſat perſpicue patet, omnes actiones functionesque ſuo non rite fungi officio, ſed perturbari; unde totum corpus in opere ſuo deturbatum eſt, nec non quod ad multa attendendum eſt Medico, ne in diagnoſi fallatur. Plura alia forte reſtant, quæ Medicum firmiorem reddere poſſent in diagnoſi Phrenitidis. Inter illa occurrit faciei atque oculorum rubedo, quia ſanguis vehementer rapitur in locum inflammatum, & majori vi atque copia ad cerebrum, ubi magis magiſque obſtruitur; hinc vaſa capitis ſanguine pleniſſima adparent. Præterea inflammatio interiora capitis ſi obſideat, impeditur, quo minus ſanguis vaſa libere permeet; adeoque ſanguis libere per Carotides pulſus, in internis illarum ramis reſiſtentiam inveniens vel obſtructus, majori copia ſe diſtribuit per exter-

externos ramos, unde facies, vasis sanguineis distentis, turgebit magis atque rubebit, & quidem tanto magis, quanto difficilior per encephali vasa fuerit humorum transitus. Et ideo periculum in istis morbis, ubi hoc obtinet, majus est: Hæcque est ratio; cur HIPPOCRATES *probum faciei colorem, torvumque vultum in ægris*, morbo præprimis acuto laborantibus, damnaverit. Oculi rigentes, rubentes, fulgentes, ex orbita protuberantes, truces, squalidi, acribusque lacrymis ac lemis perfusi. Propter distentionem vasorum omnia comprimuntur; hinc oculi extra orbitam protuberant, atque truces evadunt, lacrymæ eandem ob rationem effunduntur; unde oculi perpetuo madent atque squallent: nec non ob hanc compressionem & impeditum sanguinis transfluxum aliquando oritur & ophthalmia, ut coeffectus; aliquando si solus comprimatur nervus, ut in plethoricis sæpe, observatur amaurosis. Et ab hac oppletione atque distentione facile præbetur occasio disruptioni vasis alicujus; unde sanguis ex naribus stillat, guttatimque quasi depluit, quod Medici omnes pro pravo habent signo; quoniam frequenter, testibus HIPPOCRATE, GALENO, aliisque, Phrenitis soluta est larga narium hæmorrhagia; quum contra, stillicidium modo ubi aderat, plurimi phrenitici ad plures abierunt. Arteriarum vehemens secus, ac si in cranii cavo pulsarent arteriæ, atque circa tempora vibratio, quia caput præter naturam facilius adficitur: ideoque HIPPOCRATES dixit, *tempora pulsantia delirium portendunt*. Sicque visum, quænam requirantur signa, ut Phrenitidem adesse cognoscamus, & ab aliis distinguamus morbis. Plura simul, ut diagnosis absolvatur, concurrere oportet; quo plura enim

adſint vel concurrant ſigna, eo certior Medicus de morbi præſentia redditur. Delirium etenim ſimplex, febrisve acuta, continua vel inflammatio Cerebri vel ejus meningum, per ſe ſumpta vel ſimpliciter poſita, proprie non facit Phrenitidem; verum hæc tria conjuncta ſunt Phreneſeos ſigna pathognomica; ſed ſi febris atque delirium ſimul quodam in morbo adſunt, poſſumus quidem cogitare & metuere Phreniaſin futuram: ſi illa ſigna pathognomica conjungantur cum ſignis inflammationis generalis, atque alia ex dictis concurrant, ſimulque adſint, tum poſſumus de noſtri præſentia morbi certo concludere. Dein & dantur notæ, quibus cauſæ diſtinguuntur, & quæ adſpectu ſolo cognoſcuntur, quasque deſcribunt Auctores, qui conſulendi ſunt; has quippe notas enumerare, neceſſe minime putavimus.



CAPUT QUARTUM

De Prognoſi.

PROGNOSIS hoc in morbo levis non eſt, verum omnium fere periculoſiſſimus; modo ad viſcus attendamus, quod tam vehementer adficitur adeo dira ac periculoſa inflammatione. Nonne hoc malo præſente, tota fere quanta humanitas, ſapientia, memoria, reliquæque mentis & corporis facultates, functiones atque actiones exſtinguuntur, vel deperduntur? Nonne abolitis deperditisve hiſce totius ſapientiæ reliquorumque

per-

pernicies imminet totalis? Uti id patet, ubi Phrenitis in maniam per totam durantem transiit. Et hic morbus adeo gravis ac perniciosus est, ut momento citius hominem e medio tollat; uti eleganter id adparet ex aureis effatis Hippocraticis, qui in suis operibus multos adlegat Phreniticorum, ante tertiam, quartamve diem mortuorum, casus: imo & qui citius perierunt. Videmus apud P. ALPIN. in *Medic. Ægypt. lib.* 1. *cap.* 12. Qui inter epidemicos eorum morbos refert *Phrenitides perniciosissimas homines paucis horis perdentes.* Licet GALENUS dixerit, *se nunquam vidisse Phreniticos ante tertiam diem mortuos. Nihilominus tribus, quatuorve horis periisse phreniticos vidit* ALPINUS. Simili ferme modo inquit immortalis HIPPOCRATES. *Phrenitis tertia, quarta, septima die necat, raro septimam transgreditnr, quam si transgressi aliquando evadunt.* Tales quatuor casus, qui ante septimam obierunt diem, adfert in *lib. de Epidem.* Ubi primus Phreniticus sexta, secundus quarta jam convulsus, quinta defunctus est, tertius septima, quartus quarta mortuus die; verum & aliquando hoc non contingit, septimam licet transierint, tamen moriuntur ægri, quod contra HIPPOCRATEM adfirmari potest, dum inspiciantur perpulcra illa magni FORESTI opera, *lib.* 10. *obs.* 1. *pag.* 313. ubi habetur Phrenitici observatio, qui sexta & vigesima obiit die. Hinc cum ALPINO dicimus *omnia phrenitica deliria lethalia plerumque existere, quamvis non omnes moriantur Phrenitici; attamen hunc morbum periculo plenum.* Adeo ut non nimis citus esse debeat Medicus in promittenda restitutione, si ægri septimam diem transgressi fuerint. Varia certe requiruntur ad intelligen-

dam hujus morbi Prognosin. Hæc ut bene cognoscatur, veteres HIPPOCRATES inprimis atque GALENUS ut consulantur, oportet. Hi enim rite attendentes, omnia scriptis mandarunt suis. Illum dierum terminum egressa si fuerit Phrenitis & gravis est, in maniam desinit per totam vitam sæpe durantem, nec ulla arte fere sanabilem. Ante visum Phrenitidem a mania distingui febri, pluribusque symptomatibus; cum Phrenitis quidem delirium sit cum febri, sed mania delirium absque febri. Phrenitidem in maniam proclivem esse, docet SYDENHAMUS, & in maniam abit, impetus si cessat febrilis, atque levior tantum inflammatio caput obsidet. Longe vero pejor maniam sævam Phrenitidem sequitur, quæ tota sæpe vita incurabilis est, ut varia talia tristissima occurrunt exempla, & omnium frequentissime phrenitidem, a lochiis retentis natam in puerperis, in maniam, perpetuamque abiisse observaverunt Practici fatuitatem. Addit & BOERHAVIUS, *paulisper si adscendat, immanis fit*. Quod & HIPPROCRATI innotuit, dicit enim, *quæ sensim feroces fiunt desipientiæ, ferinæ sunt: sed & convulsiones prænuntiant.* Adeoque efficacissima Phreniticorum requiritur cautela, ne sibi vel aliis nocere possent; quod certe expertus esset, nisi fugam cœpisset P. FORESTUS, uti ex operibus ejus *lib.* 10. *obs.* 1. patet. Illa, quæ ab Auctoribus pro periculosioribus habentur, enumerare libet, & postea, quæ minus periculosiores sunt.

PERICULOSIORES habentur desipientiæ obscuræ, a græcis ἀσαφώδεις dictæ, quæ licet blandæ atque contrectabiles adpareant, quandoque in adfectus initio vel post feroces insanias observantur; cæteris minus exitiosæ patent, uti & omnium funestissimæ, quæ a virium

lan-

languore vel defectu, hecticâve cerebri temperie nascuntur. Hisce proprium videtur, ut tacite peragantur: Unde HIPPOCRATES *in febribus* dicit, *insaniæ vehementes silente ægro; sed non etiam voce privato, lethale.* Unde observavit quidem illos non solum ἀφωνοὺς, id est, voce privatos; verum etiam mutos evasisse. Unde si in febre aphoniæ, quæ modo fiunt convulsivo, desinunt in eam, quæ cum silentio fit, ecstasin, perniciosum; unde illæ insaniæ, quas HIPPOCRATES ἀβακὴς vocat, in quibus ægri obscure delirant, perniciosæ habentur. Plurima mehercle! occurrunt symptomata, quæ lethalitatem, vel saltem periculum majus morbo inducunt vel præsagiunt: Uti tremor & convulsio omnes Phrenitides vehementissimas ut pote ferinas consequuntur. Phrenitici vero plurimi prius tremuli & postea convulsi moriuntur, uti patet unum ut adducatur exemplum, ex Phrenitico ab HIPPOCRATE observato, qui quarta die convulsus, quinta ad majores transmigravit. Pro pessimo habentur convulsiones signo; *linguæ enim convulsiones, vocesque tremulæ pessimæ:* Hincque vi Phrenitidis supervenire solent silentium in ecstasi, tremor in vehementissima Phrenitide, atque convulsio imminente morte, convulsione hinc oborta, mors instat: dantur tamen morbi, qui convulsionibus, & convulsiones, quæ supervenientibus febribus solvuntur. Ideoque tremores tantum observantur lethales, qui deliriis vel desipientiis succedunt; adparent & non pauci in morborum initiis tremuli, attamen minime obeunt. Omnibus neque deliriis, at solum vehementibus succedentes exitium portendunt. Supervenit non infrequenter Palpitatio, quæ convulsioni aut tremori haud absimilis; hinc con-

vul-

vulſivus tremor, convulſio non vera, aliisque nominibus ſalutata dicitur; unde *ſubſequentes vehementiſſimæ deſipientiæ, æque ac tremores vel convulſiones, lethales.* Accedit & aliquando vomitus virulentus, quo evomitur materies bilioſa, æruginoſa, qui frequenter in capitis adfectibus occurrunt, nigra, vel etiam varii coloris exitialis quoque cenſetur. *Phreniticis enim convulſiones, ſed & virulenta vomunt, & ex iis, quidam ſubito moriuntur.* Phrenitidi exitiali ſæpe adeſſe obſervantur manuum illi tremores vel geſticulationes, ubi, ut viſum, Phrenitici floccos evellunt, vel feſtucas colligunt: hæ etiam damnantur & peſſimæ habentur, uti dicit HIPPOCRATES, *Manuum geſticulationes peſſimæ*, & præterea, *de Geſticulatione manuum hæc cognoſcere oportet, qui in febri acuta, aut Phrenitide, aut pulmonia, aut capitis dolore, manus ob os fert, & fruſtra venatur muſcas, aut colligit feſtucas, aut de veſte evellit pilos, aut de parietibus ſtipulas carpit, id omne malum, exitialeque eſt:* ſputatio frequens & in adſtantes indecora etiam præſagit in Phrenitide periculum; an ſputatio frequens per ſe Phrenitidis ſignum ſit in morbis, in dubium ab auctoribus vocatur. Per experientiam etenim conſtat, melancholicos atque hypochondriacos maximos eſſe ſputatores, attamen illos evadere Phreniticos non frequenter videmus. Liber autem cum impediatur humorum per interiora capitis circuitus, tanto major ſanguinis copia illas urget partes, unde dicta ſymptomata facies rubra &c. verum hæc hoc miſſa faciamus loco. Mirum adeo non eſt, & glandulas ſalivales ſalivam ſecernere copioſiorem, quam ægri continuo exſpuunt. Ideoque HIPPOCRATES *ſecreatus frequens,*

quens, si sane aliud quoddam adfuerit signum, Phreniticum, & sputationem summopere in Phreniticis damnavit. Quæ si in adstantes fit, valde proterva, & in bene moratis pro certissimo delirii indicio habenda. Item stridor dentium quibusdam quidem hominibus familiaris, damnatur, & pro pessimo in delirantibus ab HIPPOCRATE habetur signo. *Dentium* enim dicit, *stridor insaniam & mortem portendit, nisi quis a puero consueverit; si vero etiam delirans hoc agat, valde perniciosum.* Sanguinis stillicidium e naribus quoque ab omnibus damnatur, tum enim indicium est caput sanguine oppletum, adeoque major metuitur compressio, obstructio, inflammatio; hinc stillicidum ex naribus cum surditate aut ignavia signum est malum, sed cum omnibus aliis desipientiis plane judicandum. *Nasus destillans perniciosum.* Urinæ albidæ pellucidæ excretio periculum portendit, unde divus senex *Sect.* 4. *Aph.* 72. *Quibus urinæ*, ait, *pellucidæ sunt & albæ, malæ; maxime vero in Phreniticis observantur.* Item albida dejectio mala judicatur, uti & pravum censetur, si Phreniticis sponte urinæ vel fæces intercipiuntur, excernunturve, hinc *urinæ in non admonitis excretio* perniciosa. Nil sitire vel saltem paucissimo uti potu improbatur. *Phreniticos exiguo uti potu, malum; sed nil sitire perniciosum.* Et potus ad necessaria requiritur, quoniam absque illo nulla inflammationis resolutio tentanda, multo minus recuperanda; nam fere semper Phrenitici non sitiunt, quod pessimum signum. *Deliria autem, quæ circa necessaria fiunt, pessima.* Permutatio omnium horum symptomatum perpetua periculosa est, & signum magis magisque turbari sensorium commune & ad alias

partes cerebri propagari malum. Unde ſenex venerandus, *in Phreniticis per initia moderatum eſſe, ſed crebro permutari, malum id eſt:* Atque crebræ *in Phreniticis permutationes convulſivæ.* Et GALENUS teſtatur, ſe vidiſſe ſæpe numero tales Phreniticos, ſemper quidem delirantes, ſed variatis ſecundum omnia functionum animalium genera modis. Nunc excandeſcebant ira, poſtea moderati, mæſti decumbebant; Nunc audaciſſimi in adſtantes invadebant, mox perterriti & ſic de reliquis. Quid de tumentis ulceris ſubſidentia putandum, videantur *commentaria* ZWIETEN. *ad Aphor.* BOERH. §. 158. *n°.* 7. §. 423. *n°.* 1. & §. 432. Hæc, quæ periculum magis minusve intendunt, ſufficiant, plura innumera forte ſuperſunt, quæ ſi cui pro me addere libet, pergratum honorificumque erit: addidiſſem equidem, niſi tempus urſiſſet. Unice tamen adhuc notandum, Phrenitidem exitioſam magis in genere cenſendam quæ aliis ſuccedit morbis, ut peripneumoniæ, pleuritidi, variolis, ileo, aliisque morbis acutis, & inflammatoriis.

DELIRIA minus mala, quæ ægros non continuo tenent; verum aliquando intermittunt, licet nullum ſecurum putetur delirium. *Minus vero periculoſa ſunt, quæ cum riſu fiunt: ſicut temeraria omnia ſunt periculoſiſſima. In medio autem ambarum deſipientiarum ſunt, quæ cum ſtudio fiunt.* Adeoque cum bonis notis ortum delirium non eſt metuendum, & præcipue ſi non ſit perpetuum, neque vehemens, & ferox ſit, magis vero quoque leve & parvum, ut & ſi ægroti in paucis mente aberrent. Cavendum vero, ne forte parvum & mite putatum nos decipiat, quum permulti perniciei vel morti proximi, ſic delirare non raro dignoſcuntur: Hæ tum

illæ

illæ ſunt deſipientiæ, quas nos obſcuras, & græci ἀσαφάδεις adpellitant, quæ damnantur, adeo ut *tremulæ*, *obſcuræ*, *contrectabilesque deſipientiæ*, *valde Phreniticæ* ab HIPPOCRATE habeantur. Hæ aliquando in debili vel exhauſto quodam morbo corpore obſervantur, quod non difficile ex præegreſſis innoteſcit, ut ex debilitatis & prælanguidis viribus, ac aliis perniciofis ſimul obſervatis notis, reliquisque· Hoc enim in caſu pulſus languet, delirium perpetuum cum notis funeſtis, quæ omnia ſigna ſunt tum cum delirio, & quæ ipſi ſucceſſerunt. Hæc haud raro ſalutarem antecedunt criſim. Reliqua ſicco præterimus pede, commode ab attendente cognoſcuntur.

PHRENITIS ut alius quicunque adfectus inflammatorius abit 1°. in ſanitatem. 2°. in alium morbum & 3°. in mortem.

INSANITATEM 1°. tranſit duplici modo, vel reſolutione ſimplici, quæ & criſis perfecta dicitur, vel coctione, vel coctæ materiæ perquamcunque viam ſecretoriam vel excretoriam evacuatione, vel & depoſitione in aliam partem. Hic modus criſis imperfecta ab Auctoribus dicitur; alium enim inducit morbum hominem a Phrenitide liberando.

HAC jam reſolutione ſimplici vel criſi perfectâ in ſanitatem abire dicitur, tum quando materies obſtruens, inflammationemque pariens vaſis impacta ſolvitur; vel quum vaſa obſtructa ita Naturâ vel Arte diſponuntur, ut fixa hærens materies in venas continuas patulas pergere poſſit, vel in vaſa diametri majoris retropelli valeat, ſopito ſimul ſtimulo inducto: Verum reſolutione hacce ſimplici morbus ſæpe vinci nequit, tum criſis vel coctio

 ex-

exſpectari debet. Hæc enim tum obtinet, quando materies ſoluta, & ſubacta, non tamen ita ut priſtinam reacquiſiverit fluiditatem, mobilior reddita, ex arteriarum ſerie in venarum ſyſthema ducitur, & adhanc illamve partem ſecretioni conſacratam deponitur. Ita id nonnunquam obtinet, prægreſſa coctione, per ſudoris excretionem. Qua in initio aliquando utitur Natura, viam ad materiæ coctæ eliminationem præbens: licet hæc cæterum præcipue in progreſſu morbi absque coctione prægreſſa, minime fidenda. Uropoietico organo etiam coctæ materiæ excretio fieri nonnunquam obſervatur. Sic & alvus eam ſolutam ſubactamque excludere poteſt. Ne de aliis viis, quibus utitur Natura ad noxium, mobileque redditum coctione, eliminandum, mentionem faciamus: ſufficiat adnotaſſe menſtrua, hæmorrhoides, hæmorrhagiam narium, varices &c. cum remiſſione vehementiæ morbi ſubitanea, coctione finita, ſolvere morbum. Hæc proprie criſis eſt poſt benignam reſolutionem, optima, raroque tamen noſtro in adfectu proh dolor! exſpectanda.

De depoſitione materiæ in hanc illamve partem, de qua Auctores mentionem faciunt, non eſt, quod loquamur. Sic apud eos invenimus hanc depoſitam ad coxendices & alia loca.

Abit 2°. Phrenitis ut reliqui inflammatorii morbi in ſuppurationem, gangrænam, ſphacelum, ſcirrhum. De exitu in ſuppurationem prius dicendum foret: verum quum certum ſit plerumque, ſi adeo gravis ſit inflammatio & vehemens, potius ad gangrænam, ſphacelumve quam ad hunc exitum perveniat, & citius adfectare. Indicaſſe ſufficiat, ſuppurationem tunc fieri, ſi inflammatio vel

Na-

Natura vel Arte irresolubilis, tam mirandum & singularem adfectat statum, ut pars inflammata convertatur in unum, blandum, æquale &c. liquidum, quod *pus* audit. Pauca isthæc de exitu in suppurationem sufficiant, qui periculosus, si non lethalis habendus, licet SCHENKIUS *in obs. Medic. lib.* I. *p.* 60. dicat, se sanatum vidisse cerebri abscessum, ubi Natura utebatur singulari beneficio, pus illud eliminando per nares & aures, simile quid etiam refert BARTHOL. *cent.* 6 *Histor. Anat.* 13. ubi æger ab abscessu cerebri liberatus est singulari quoque Naturæ beneficio, per nares & oculos. Et hoc pus in calvaria contentum comprimendo encephalon, viam sternit omnibus morbis soporosis, ut caro, comati somnolento, lethargo, imo & ipsi Apoplexiæ. De Phrenitidis in lethargum, aliosve morbos soporosos transitu varia apud varios exempla occurrunt Auctores, adeo ut amplius mirum minime videatur.

GANGRÆNA tertius modus, in quem terminatur inflammatio, fit, dum influxus vitalis per arterias ejusdemque reditus per venas in parte corporis nostri molli, tollitur, sic hujus partis destructio fit. Hanc propter humorum acrimoniam validam, motumque eorum incitatissimum, in cerebro obtineri posse docent dissecta Phreniticorum cadavera, quorum cerebrum, si non in totum pro parte saltem gangrænosum se ostendit. Gangrænam cerebri lethalem esse pronunciat celeb. BOERHAAIUS in *aph. de cogn. & cur. morb.* §. 432. Quod & confirmat sanum ratiocinium. Quodque minime mirum videtur, modo consideretur mollis, tenera, atque pulposa substantia. Nonne ideo illud, posita grangræna, cito in putridum quasi tabum diffluere potest? idem


de *ſphacelo* cenſendum, quod per obſervata conſtat Medica; quodque HIPPOCRATES jam novit, ut hinc inde in ſcriptis indicat, ait, *cerebro corrupto, quidam in tribus, alii in ſeptem moriuntur diebus: Illas autem ſi effugerint, ſervantur:* & alio loco *ſect.* 7. *aph.* 50. *Quibus*, inquit, *cerebrum ſphacelo fuerit adfectum, in tribus diebus pereunt: ſi vero hos effugerint ſani fiunt.* Verum obſervata Schenkiana nos edocent, hoc contrarium poſſe exiſtere, quum apud SCHENKIUM in *Obſerv. Med. lib.* 1. *pag.* 60. habeantur caſus hominum, quibus cerebrum ſphacelatum erat, attamen vixerunt ad ſeptimam, decimam, decimam quartam & decimam ſeptimam diem; verum omnes exſtincti ſunt.

DE *ſcirrho* cerebri quarto fine inflammatorii tranſitus multa dicenda non habeo, quippe hic præcipue in corporis partibus obtinet glanduloſis; verum quoniam per obſervata conſtet, exiſtere poſſe ſcirrhum cerebelli, uti obſervavit Illuſtriſſimus atque peſpicaciſſimus HALLERUS in *Opuſc. Pathol. obſ.* 1. ut & in transactionibus Philoſophicis atque commentariis Gottingenſibus. Si obtinere poteſt ſcirrhus Cerebelli, cur non & Cerebri? Hic oritur, (ut ait quidam) quando & vitæ & morbi vires adeo æquilibrentur, ut nec vaſa deſtrui, nec materies obſtruens iterum attenuari valeat; ſed diſſipatis per calorem liquidiſſimis, terrea pars humorum cum oleoſis concreſcat, & pertinaciſſimam generet obſtructionem, materies impacta & obſtructa vel inflammata, inertior, craſſior, viſcidior, vaſis ſuis tanquam carceribus incluſa ſit, abit in tumorem durum indolentem; qui ſcirrhus dicitur; unde tum producitur mania, melancholia vel deſipientiæ nulla Arte ſanabiles, & totam per vitam du-

non

rantes. Adeoque hunc morbi ſtatum ſummopere ſæpe & ſubito periculoſum, conſtat. Hunc exulceratum *Cancri* exitum capere poſſe conceptu facile.

De exitus Phrenitidis in memoratos morbos ſignis, non eſt, quod agamus. Hæc, ſat clara, ubique apud Practicos inveniuntur. Et rarior præterea Phreniaſis ad eum pervenit terminum. Plerumque potius crederem, hanc, ni ſolvatur inflammatio, 3°. ac ultimo in *Mortem* terminari. De hocce in mortem exitu multa ut dicamus, non oportet, facile certe, qui omnia in Prognoſi dicta a capite ad calcem repetat, conſideret, perpendatque, patebit morbum noſtrum cito lethalitatem poſſe inducere. Inprimis ſi omnia ſymptomata (Cap. 3.) enumerata, a primo initio ſat valida exſtiterint, atque ſi quædam, quæ hoc capite adlegavimus, ſimul concurrant, quæ mortem inferre poſſunt, tunc mortem cito Phrenitidem ſequi poſſe, nemo inficias ibit.



CAPUT QUINTUM.

De Curatione.

Omnes morbos inflammatorios unius ejusdemque eſſe indolis, patet, ubi ad eorum curationem pervenimus; requirunt enim curam antiphlogiſtam, ut V. S. remediaque vi antiphlogiſtica gaudentia: ſed variant medendi methodi pro varietate cauſarum hos morbos in in actum ducentium. Ita & variat Phrenitidis curatio pro

pro varia ejus causa. Morbus noster periculo plenus, ut ex ante dictis patet, adeoque validissimam citissimamque requirit Medicinam, quod & BOERHAVIO innotuit, dicenti in *aphor. de cognosc. atque curand. morb.* §. 780. *Phrenitis vera requirit citissime validissima remedia, quibus tolli possit inflammatio ad Cerebri arterias orta.* Fulminis enim adinstar prorepit, & omnia momento citius destruit. Cura specifica locum hic minime habet, neque ullis fere in morbis, certa nisi sub conditione, quanquam se per specifica morbos tollere posse perhibeant. Quid quæso valeret cura evacuatoria in Phrenitide ab inanitione vel evacuatione orta? Nihil omnino, contra ægro nociva lethalisque foret. Quid enim agerent illi, qui ad cælum usque lapides cancrorum vel similia hoc in morbo extollunt, si causa alcalina est? Adeoque videmus, curam variandam, prout causa differat. Nonne ante visum aëra in causa esse posse? Qui, si nimis frigidus, calidior subministrandus; item si nimius ejus calor peccaverit, temperatior reddendus, vel alia aëris qualitas apta si fuerit huic morbo producendo, corrigenda venit contrariis auxiliis: ad quod præstandum varia suppeditat supellex Medica instrumenta, eorumque ingens habetur catalogus apud BOERHAVIUM aliosque Materiæ Medicæ scriptores. Cibi in causa si fuerint, eorumve acrimonia si peccaverit, corrigenda contrariis:

Contraria enim contrariis curantur.

Sic ex signis ubi constiterit, acidum peccare, alcalina non tamen calidiora volatilia, propinanda & contra,

al-

alcali ſi peccat, acida, item ſi acre muriaticum, emendari debet per diluentia, emollientia; ut ſpicula iſta ſalina ſolvi queant, idem de reliquis in cibis potubusque acrimoniis verum. Motus ſi peccet, quies concilianda, quæ certe in Phrenitide convenit: Phrenitici ex ſe ſat mobiles ſunt, parum quieſcunt, quod in omnibus videmus delirantibus. Si quæ, quæ raro, attamen aliquando, veniat, tum motus excitandus, æger exhilarandus, cavendum tamen a fortioribus ſtimulantibus. Idem in vigiliis & ſomno locum habet, de quibus poſtea. Inanitio vel evacuatio nimia hunc in morbum ubi prædiſponit, tollenda per replentia, bonum ſanguinem conficientia, & ſpiritum generantia, vitanda cane pejus & angue acria illa inebriantia & ſtimulantia ſpirituoſa. Adeoque patet variis in caſibus contraria eſſe adhibenda; idem in reliquis obtinet; ſi enim hæmorrhoidum, menſtruorum, alterve fluxus prohibitus fuerit, promovendus eſt. De Animi Pathematibus idem intelligendum velim. Non tamen exiſtimandum, curam in eo tantum conſiſtere, minime; verum Phrenitis jam nata ſingularem ſibi expoſcit, licet ſemper ad cauſarum differentiam ſit reſpiciendum, medicationem. Quid enim mæror v. g. ſi cauſa exiſteret, lætitia ad morbum jam natum eradicandum valeret? Differt & cura ratione morbi temporis.

Hinc inflammatio quum adhuc reſolubilis, eſt, omni molimine incumbendum, ut ulterior vaſorum læſio impediatur & tollatur illa, quæ jam facta eſt; dein ut materiæ obſtruenti fluiditas concilietur una cum lenitate: blanda enim humorum ad inflammationis reſolutionem requiritur indoles; vel ut in fluorem redigantur

moleculæ obſtruentes, ideſt in minora vaſa. Hæque ſunt indicationes generaliores, quibus Medico ſatisfaciendum eſt in cura Phrenitidis. Omnibus hiſce indicationibus ſatisfacere poſſumus venæ ſectione; hæc impetum humorum in obſtructum tollit, obſtruens aucta vaſorum contractilitate retropelli facit, vel dimoveri e loco in continua vaſcula, & reſolutionem optime ſic procurat. Circa Venæ ſectionem maximopere ſe torſerunt Veteres. Perpauci ſunt, qui eam damnarunt, inter illos tamen fuit ASCLEPIADES; ſed cur hoc fecerat? quia Phrenitis conjuncta eſt cum febre valida: & ſanguinem nolebat mitti, niſi in febris remiſſione; verum dixerat, perinde eſſe his ſanguinem mitti, ac ſi trucidarentur. vide AUR. CORN. CELS. *de Med. lib.* 3. *cap.* 18. *pag.* 150. Alii ſe contorſerunt in loco, in quo vena ſecanda erat, alii pluribus in locis ſimul, in uno loco alii, alii in venis, in arteriis alii. Mittebant ſanguinem ex brachio, pede, jugulo, fronte &c. Hodiernus obtinet mos ſanguinem ex vena brachii educere, vel & pedis: Et certe quo remotius a parte aefecta inſtitueretur, eo major ad revulſionem ſpes erat. Quod ſecuerunt plures venas ſimul hoc ideo fecerunt, ut revulſio eo major eſſet. De ſectione venerarum jugularium in Phrenitide legitur apud SEVERINUM *in Medic. efficac. lib. de Angiol. cap.* 16. Ex venis narium interioribus *cap.* 11. De ſectione venarum raninarum *cap.* 4. & apud CÆL. AUREL. *lib.* 1. *de morb. acut. cap.* 12. De vena frontis apud varios auctores. Atque ut revulſionem adhuc majorem conciliarunt, eo pervenerunt audaciæ Medici (audaces enim fortuna juvat) bono aliquando cum eventu, ut loco phlebotomias inſtituerint Arteriotomiam, quam

quam laudarunt BALLONIUS, TRALLESIUS aliique; hunc in finem elegerunt arteriam temporalem. Hæc sectio vehementer revellere debet; verum multo plus periculi imminet ab arteriæ quam venæ sectione ob aneurismata, quæ facile se produnt, & quia sanguis in arteriis non adeo facile sistitur. Ideoque phlebotomiam arteriotomiæ præferrendam censeremus. Hæc sanguinis missio sive per arteriam, sive per venam larga esse debet; imo ad animi deliquium usque, & tum facit, ut ut materies inflammans facilius revelli possit. In omni magna inflammatione requiritur larga sanguinis missio, adeoque & in Phrenitide, quæ omnium fere maxima, attamen minor, si materies illa inflammans duram matrem quam cerebrum ipsum occupaverit; quum vasa cerebri probabiliter tunicam muscularem habeant tenuiorem, unde illam materiem minus repellere possunt. Unum vero restat, quod non facile distinguere liceat; utrum cerebrum; an vero dura piave mater, an utrumque adfectum sit: Præstat tamen semper in omni Phrenitide sive ab inflammatione cerebri, sive ejus meningum, sive utriusque simul producta, largam instituere sanguinis missionem ad animi deliquium usque. Præterea debet fieri hæc evacuatio per magnum vulnus, adeo ut sanguis pleno fluat rivo. Debet & aliquando ad plures institui vices pro rerum circumstantia, atque tum iterum sat larga, hoc Medici est determinare. Sanguinis missio præter laudatas supra utilitates varia præstat: Copiam & impetum humorum minuit, sic subitam inationem, validissimamque revulsionem ab encephalo facit.

DEIN commendanda veniunt deluentia in Arte sic

dicta, qualia ſunt omnia illa aquoſa, decocta farinoſa, ut hordeacea, avenacea: item Decocta ſcorzoneræ, Graminis, cornu cervi &c. Convenient ergo talia, quæ concretum diluendo, obſtructionem reſolvere, & nimium tollere queunt calorem; adeoque accedere debent refrigerantia, quæ nimiam fluidi denſitatem tollunt, vaſa infarcta laxant, & nimium circulationis impetum minuunt; nec non nimii caloris cauſas tollunt vel ſaltem minuunt. Omnia ergo aquoſa proderunt diluendo, conjuncta cum refrigerantibus; hiſce junguntur moliſſima farinoſa, ut vaſa magis laxentur, atque ſolventiſſima remedia, ut concretum attenuetur inflammatorium, atque meabile reddatur. Varia horum genera, variæque ejusdem indolis formulæ inveniuntur apud Materiæ Medicæ auctores, quas enumerare ob magnum eorum catalogum, nimis tædioſum eſſet, ſiccoque ideo prætereundum pede.

Omnia antiphlogiſticorum titulo gaudentia hic inprimis conveniunt, quæ ſemper maritata eſſe debent cum diluentibus, refrigerantibus, tum nimium humorum impetum tollunt, idemque præſtant, quod diluentia, refrigerantia. Conjungenda & ſunt cum laxantibus, eccoproticis ſimili titulo antiphlogiſtico præditis; hæc alvum ſubducunt, a ſuperioribus revellunt, & ſic impetum in caput ab eo minuunt. Hæc omnia innumera ſunt, quæ ſub variis comprehenduntur titulis, nempe attenuantia & ſimilia. Hæc in Phrenitide ſummopere extolluntur, fereque pro ſpecificis habentur, ut & in aliis morbis inflammatoriis, in quibus mira præſtant, omne punctum abſolvunt, ideoque & omni ſatisfaciunt indicationi. Dein omnia acida, & aceſcentia, vegeta-

bilia

bilia æque ac foſſilia. Sub Eccoproticorum nomine veniunt manna, caſſia, tamarindi, mel & reliqua, vel fortioribus, ſi conducat, utendum, ut Rheo, agarico, ſcammoneo, aloe, turbith gummoſo &c. Omnia hæc ſemper formâ exhibenda liquidâ, ut V. G. decocti, Mixturæ, Julapii, Emulſionis, vel ſimili. Emulſiones hic certe maximi uſus ſunt, quæ conficiuntur ex refrigerantibus, leniter anodynis; blandum enim frigus, gratumque corpori inducunt ſoporem. Pro materia habent ſemina omnia, fructus, nucleosque refrigerantia. Omnes fructus horæi, eorumque ſucci maximopere laudantur, hi per ſe acidi, adeoque & eâdem præditi ſunt vi.

Clysmata decoctis dictis ſimilia adhibenda ſunt; hæc efficaciſſima remedia ſunt, quibus impetum & motum humorum temperare poſſumus. Hæc tanti fecit Sydenhamus, ut teſtetur, ſe ſolo horum uſu nimiam ſanguinis exæſtuationem pro lubitu compeſcere potuiſſe, raroque indiguiſſe repetitâ venæ ſectione. Pauci ſunt, qui probe norunt, quid valeant clysmata, ideoque, quod dolendum tam parvi faciunt. Hiſce ut major fiat revulſio, addere non inutile exiſtiment purgantia, verum ex antiphlogiſticis, diluentibus, refrigerantibus deſumpta, varia ſuppeditat ſuppellex medica.

In antecedentibus viſum hæmorrhoidum ſolutionem multum prodeſſe, hacce plurimum proficimus, quia ſanguis per hæmorrhoides oppoſita a capite directione fluat, unde ſummo jure exſpectanda revulſio. Dum ergo Medico per ſigna conſtiterit, hæmorrhoides fluxuras, ut per dolorem, ruborem, pruritum circa anum, irritum alvi deponendæ conatum vel ſimilem, vel ſi noverit,

ægrum ante hæmorrhoidibus obnoxium, & eorum fluxum suppressum, anum continuo foveri curat, vel partes ei adjacentes balneo vaporoso, cataplasmatibus, fomentis adplicatis, laxantibus, emollientibus & similibus, clysmata similia ano injiciuntur. Verum si nondum prodierit, suppositoriis utitur ex sale gemmæ cum melle cocto, inprimis pauxillo aloês addito, si tunc incipiunt prodire & protuberare, foliis ficus asperis fricamus partes, ut rumpantur, vel lanceola pertunduntur, ut sanguis libere exire queat. Vel communi utimur modo, hirudines scilicet adplicando; Animalia hæc, inflicto hisce partibus vulnere, sanguinem exsugunt, & sanguine oppleta sponte decidunt, atque tum hæmorrhoides fluere pergunt. Inprimis si tunc in sedili proforato collocetur æger, & partes hæ aquæ tepidæ vapore foveantur. Hisce in auxilium vocatis nunquam fallit, ut ajunt, quin illico levetur delirium; dum sanguis ex hæmorrhoidibus fluit. Hoc inprimis notandum, quod nunquam fortioribus utendum sit, quoniam hæc stimulante atque irritante vi gaudeant, adeoque & humorum motum intendant, quod in morbis acutis & præcipue in Phrenitide summopere noxium est. Quod de hæmorrhoidum solutione, idem de menstruorum laxatione obtinet, horum fluxus æque valet ac hæmorrhoidum. Ideoque hunc eandem ob causam provocare possumus per laxantia, emollientia; minime vero per Emmenagoga sic dicta, quorum plurima circulationis impetum & velocitatem augent, quæque conveniunt corporibus laxis frigidis, quorum Circulatio lentescit, & quasi suffocatur, non autem in calidis, morbis præprimis acutis obnoxiis. Hinc commendanda & adhibenda pediluvia,

Epispa-

epispastica, frictiones partium inferiorum. Hismenstruus fluxus si non sequatur, sanguinis ex pede emissio fieri potest, qua facta, menses saepe fluunt: haecque simul inservit, ut haemorrhoidum vel mensium defectus suppleatur. Omnes hae evacuationes proderunt, quando vasa nimiâ sanguinis copiâ distenduntur, vel nimius circulationis impetus adest, vel necessaria humorum a capite fieri debet revulsio. Idem & de lochiorum suppressione verum, quae provocanda simile modo ac menses. Cavendum tamen dictam ob rationem a pellentibus, aliisve fortioribus.

Narium haemorrhagiam in Phrenitide conducere, observatum est, idest sanguinis fluxum ex naribus; minime vero stillicidium, quod, ut visum damnatur & pro pessimo habetur signo. Hoc unum est ex beneficiis, quibus Natura utitur ad sanandam vel solvendam Phrenitidem, quod viderunt Medici, hincque cogitarunt de fluxu hocce provocando, adeoque varii varia excogitarunt auxilia, quibus hoc praestare possint. Hippocrates adhunc provocandum fluxum commendavit ebrietatem per copiosum vini haustum, quem minime permittendum putaremus. Indicatio enim hic jubet, ut motus, qui hic adeo magnus est, compescatur, verum per copiosum vini haustum motus augetur, adeoque hic potius noceret. Hinc alii alia excogitarunt, ut ictum, frustula radicum Cyclaminis; alii utebantur calamo scriptorio in stellae formam scisso, naribus immisso atque agitato, & ita producebatur narium haemorrhagia. Quicquid faciunt nullum melius datur remedium, quam ut laxentur hae partes vapore laxante, emolliente, tepido.

Adplicanda & toti capiti sunt laxantia, emollientia, ut

ut nares, oculi, aures foveantur, dum hoc peragitur, minuitur resistentia in Cerebri vasis, ut & impetus copiaque sanguinis ab Encephalo. Et ita nares humectatione & laxatione illa optime ad hæmorrhagiam disponuntur. Adeoque & in usum vocanda colutoria & gargarismata tepida ex emollientibus confecta. Laudantur & spongiæ calidæ aqua tepida humectatæ ad loca, ubi vasa majora nudiora decurrunt, ut in inguinibus, suris, femoribus, sub axillis, in manibus, ubi pulsum tangimus &c. Omnia hæc fiunt, ut revulsio eo citior & major evadat, quoniam hoc tempore elapso, de ægro fere conclamatum est. Omnibus hisce incassum adhibitis confugimus ad alia remedia topica, ut vesicatoria, epispastica & similia.

Vesicatoria rite adhibita plurimum faciunt & partibus inferioribus ut suris, femoribus, humeris, nuchæ, sub vel post aures admota maxime revellunt, & impetum ad se trahunt. Hunc in finem eliguntur acerrima omnia remedia, ut ranunculi pratenses & similia. Omnium tamen maxime adhibentur cantharides; hæc animalia partem, cui admoventur, vel quam versus revulsio facienda, intra octo vel decem plerumque horas in vesicam attollunt; verum quum constet, hæc magnam possidere acrimoniam, & irritare partem, sæpe humorum motum augent, qui hic noxius, adeoque in eorum usu cauti simus.

Epispastica vesicantibus leviora, adeoque sæpe ante ponenda, hic in usum etiam vocari possunt, atque sub attrahentium titulo comprehenduntur. Hæc varia admodum sunt, atque conficiuntur ex pane secalino, seminibus sinapeos tritis, radicibus Raphani rusticani rasis,

simi-

ſimilibusve. Quæ brevi temporis intervallo calorem ruborem, dolorem, adeoque & inflammationem inducunt, ſicque revellunt, atque huic ſcopo inſerviunt. Alii hunc in finem commendant haleces ſalitos; verum priora præferenda cenſeo.

Cucurbitæ hic etiam eidem inſerviunt ſcopo, nempe revellendo & attrahendo ad partes, cui adplicantur, & hæ egregiæ ſunt, inprimis ſi fiant cum ſcarificatione Uti nobis indicat M. A. Severinus *in effic. Medic. l.* 1. *p.* 3. *c.* 9. *p.* 215. *Quæ eſt*, inquit, *in Phrenitide capiti admota cum ſcarificatu cucurbitula, quandoque Phreniticum a morte liberavit*; ibique varia loca, quibus adplicandæ, variosque admovendi modos monſtrat, ſcopo avertendi & retrahendi applicari eas vult præcordiis, clunibus, pubi, inguinibus *l. c. p.* 222.

Alii raſum caput commendant, atque rei rationem reddunt, quod abraſo capillitio, caput magis perſpiret, uti ab illo exſpectavit Cæl. Aurel. *lib.* 1. *morb. acut. cap.* 13. *pag.* 48. atque gratum corpori concilietur perfrigerium, quo multoties in ſomnum incidunt. Sunt, qui raſo capiti veſicatoria adplicant, quid ibi efficerent, neſcio, ob duram calvariam, adeoque aliis locis potius adplicanda ſuaderem.

Corpus omnino erectum tenendum, quia ſic impeditur major in capite impetus, quia ſanguis non adeo facile ob gravitatem adſcendere poteſt, atque caput, imo totum corpus modice tantum modo tegatur. Obſervata docent, quod Phrenitici peſſime furentes, dum lecto incarcerantur, placidos penitus reddi, ſi erecto corpore modice tamen tecto in ſedili ſedeant. Quod opti-

time notat SYDENHAM fidelis ille praxeos obſervator in praxi ſua *pag*. 659. & 660.

VETERES enim in perſanandis morbis valde crudeles erant, modo hi eſſent graves, devenerunt ad ſciſſionem, uſtionem & reliqua in parte adfecta, ſic in Phrenitide uſtionem adhibuerunt juxta SEVERINUM *l.c. lib.* 2. *p.* 1. *cap.* 4. *p.* 157. Quam nunquam ſuaderemus, verum potius, dictam ſequeremur methodum: attamen neceſſitas ſi urgeat, melius eſt anceps exhibere remedium, quam nullum.

MEDICUS certe Naturæ miniſter, & quidem præcipue in morbis acutis inflammatoriis febrilibusque criſeos tempore; dum per ſigna ipſi conſtiterit, Naturam ſe velle liberare ab hoc malo per ſudorem, urinam, aliamve viam; ſi tunc hæc operi impar, vel quando ejus vires nimis imbecilles, vel morbus nimis gravis, tum Medicus Naturam adjuvare debet; minime vero eam in opere deturbare. Adeoque ſi viderit Medicus Naturam ſe velle liberare per ſudores, præſcribit ſudorifera lenia maritata cum ante dictis, vel ſi per urinam, diuretica leniora prioribus etiam admiſta. Obſervata docuerunt æquabilem per totum corpus diffuſum ſudorem hunc ſolviſſe morbum, licet contrarium legatur apud FABRICIUM HILDANUM, ubi Phreniticus liberatus atque reſtitutus erat ſudore frigido, qui ab HIPPOCRATE adeo damnatur, verum fatendum, quod ex mille caſibus vix unus obſervetur tam felix.

OMNIBUS hiſce incaſſum adhibitis prægreſſisque evacuationibus ſolitis, ad opiata confugere, credo, licet, ſed leviora tantum; verum in hiſce exhibendis cautus ſit Medicus, ne ſe ipſum fallat, ægrove damnum in-

fe-

ferat. Me quod attinet, inciperem ab emulſionibus ante laudatis, hiſce nil ſi profecerimus, adderemus ſyrupum quendam hypnoticum, & ſic ſenſim ſenſimque adſcendendo, fortiora requiſitâ cum cautelâ dare licet. Opium ſi exhibeatur purum, ſemper in aqua idonea ſolutum, præſcribendum ob dilutionem, in inflammatoriis morbis ſummopere neceſſariam. Opium enim nimis cito ſi adhibuerimus, augeremus delirium, idem obtineret, ſi nimis imprudenter datum fuerit, promoveretur inflammatio: Hoc enim inflammans & calidiſſimum remedium eſt, adeoque oleum fere flammæ adderes, hinc inflammatio cito in Gangrænam converteretur omnino exitialem & præcipue hoc in caſu. Neque utendum, niſi prægreſſa fuerint memorata, tum parca doſi, atque tunc delirium compeſcere poſſumus.

De vomitu mentionem non facimus, quippe hic minime conveniat, & pro peſſimo habetur ſigno, ut in prognoſticis viſum, ſed maxime laborioſus eſt, unde ſi vomitus adeſt nimius compeſcendus per idonea remedia. In Phrenitide emeticis utebantur Ægyptii, neutiquam hæc adhibenda eſſe putem; metu enim inducerer, ne ſtagnatio illa per vomitum in capite fortior evaderet: ſi conſtiterit, ventriculum nimis obſeſſum eſſe materia quadam inutili, lene emeticum dari poſſet; verum a fortioribus ſollicite abſtineamus.

De ſpecificis mentionem minime facio, quæ ut inutilia, & vana ſicco prætereo pede.

Diætam quod attinet, hæc levis, paucus ſimul & ſemel. Cibi pauci antiphlogiſtici ex hordeaceis, farinaceis, oleribus, fructibus horæis, refrigerantibus, potu ſimili, refrigeranti acido, antiphlogiſtico: Jura carnium te-

tenuiora cum oryza, oleribus, ſucco citri, aurantiorum, ſimilive. In exhibendis carnibus Medici minime conſentiunt, ſi exhibeant, præferunt albas, gallinas, vitulinas, ovillas &c. ſed parca copia, ut vires reſtaurentur, quæ maxime debilitatæ ſunt. Item num vinum dandum ſit, dubitant, ſi dandum, parca exhibeatur copia, aqua adulteratum, alias nimis ſtimulat, & hic maxime nocivum eſt. De vini exhibitione videantur CÆLIUS AURELIANUS, PETRUS FORESTUS aliique. Item inter ſeſe diſſentiunt de aëre Phreniticis congruo; alii in lucido; in tenebricoſo aëre alii ægros deponi volunt; alii in humido; in ſicco alii & ſic de cæteris. Præferrem tenebricoſum, ut æger objecta non percipiat, humidumque. Tota enim cura eo redit, ut humectemus atque refrigeremus, utque ſic ægro ſomnum induceremus. Generalis de aëre regula dari non poteſt, adeoque concedimus ægro talem aërem, qualem conſuetus, dum ſanus erat. Potius in lecto ſedeat, quam decumbat dictam ob rationem. Quoad motum, alii eum non permittunt, quia motus exſiccat, neque ſibi aliisve noxia inferant ægri: adeoque quieſcant, & ſomnus inducatur atque quies omni modo. Quies & ſomnus corpora humectant, & humectata conſervant. Animi pathemata cane pejus & angue vitanda, ut ante monuimus. Adeoque diæta in omnibus ſit moderata.

NUNC curandus, ſi in arte eſſet, ſtatus ille, ubi inflammatio in ſuppurationem tranſiit, verum quum ſuppuratum cerebrum lethale eſt, licet obſervatio docuerit, eos, qui cerebro ſuppurato laboraverunt, reſtitutos eſſe, qualia habentur exempla apud SCHENKIUM, BARTHOLINUM, forte & alios, ut in præcedentibus vidimus,

mus, hæc sunt mira Naturæ. In genere hoc dico, quod suppuratio Cerebri lethalis sit. De gangræna, sphacelo, scirrho &c. mentionem facio nullam, quoniam constat homines hoc illove adfectos citius tardius exstinctos esse, nunquam sanatos.

De Phrenitide symptomaticâ hinc inde aliquid verbo monuimus aliquid, hæc a variis infinitis producitur morbis, quam si rite examinaremus, ætas fere deficeret, tractanda est pro genio suo, & curanda idoneis remediis.

En L. B. hæc sunt, quæ de Prenitide scribere constitui. Plura addidissem, nisi tempus nimis cito præteriisset, atque Praxeos exercendæ cupiditas me ursisset. Utere his in Creatoris gloriam, in Proximorum salutem, & ad nostræ juventutis commendationem contentis, quæ si placuerint, non meæ prudentiæ, sed omnipotenti Deo, qui mihi ea componenti adfuit, perpetuas agam gratias.

TANTUM.



A N-

A N N E X A.

I.

Ligaturæ artuum, in sanguinis uberioribus profluviis, potius contemnendæ, quam accipiendæ videntur: saltem iis non fidendum.

II.

V. S. sæpe optime & corroborantis & adstringentis fungitur remedii vicibus.

III.

Eadem vero, ubique hodie fere adeo celebrata, in plerisque nervorum adfectibus rarissime confert.

IV.

In rheumaticis malis indeterminatim venam aperire non licet.

V.

In chronicis minus plerumque morbo vincendo sufficit, quam acutis morbis Natura.

VI.

Mira sæpe, maxime in Chronicis, alvina, ut plurimum requisita, evacuatio præstat & adfert commoda.

VII.

VII.

Qua & universalius ideo conveniens in foro non exstat medico remedium.

VIII.

Quo magis Practicus simplicitatem in præscribendis formulis ambit, eo plerumque felicior in curatione.

IX.

In partu difficili. indicato stimulante, male faciunt nonnullæ obstetrices, arcana sic dicta sua, calidiora plerumque, ad partum promovendum adhibenda.

X.

Natura nonnunquam morbis adsuefit, habitumque in eos quasi proclivem, dui & aliquando semper superstitem contrahit.

XI.

Sanguinis circulus olim multis pro vitæ causa habitus, potius effectus ejus salutandus.

XII.

Corticem Peruvianum semper tuto ad febres intermittentes debellandas adhiberi non posse, nec debere statuo.

XIII.

XIII.

Et si, rarissime, ni præmissis necessario præmittendis, adhibendus.

XIV.

Setaceorum & Fonticulorum apta, ac tempestiva administratio atque usus in ulceribus persanandis inveteratis, incomparabilis sæpe sunt emolumenti.

XV.

Symptomata morbis sæpe ipsis periculosiora.

KLINK